



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Libri XXVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78332)



1  
PRAXIS FORI  
POENITENTIALIS,  
AD DIRECTIONEM  
CONFESSARIJ, IN VSV SACRI  
SVI MVNERIS.

Tertiæ partis, Tomus Tertius,  
DE SPECIALI RATIONE  
IUDICANDI DE PECCATIS SECUNDVM  
practicam Theologiam Sacramentalem.

Authore P. VALERIO REGINALDO, Burgundo Sequano, è Societate JESV.

PRÆFATIO.

**T**HEOLOGIA practica tanquam ad curationem animæ comparata, sicut medicina ad curationem corporis, duplex censetur: vna moralis, posita in præceptis recte viuendi, tanquam regulis iudicandi de peccatis, prout animæ morbis: altera sacramentalis, posita in cognitione recti, debitiq; vsus sacramentorum nouæ legis, quæ Christus Dominus in sua Ecclesia instituit, tanquam pharmaca accommodata depellendis ipsis peccatis, & diuinæ gratiæ consequendæ ac conseruandæ; in qua consistit animæ sanitas: itemq; in cognitione censurarum: tanquam impedimentorum salutaris vsus eorundem sacramentorum. Ratio autem specialis, secundum eandem Theologiam iudicandi de peccatis nobis proposita, exigit vt consideremus, tū quæ vniuersæ ad sacramenta ipsa spectant: tum quæ particulariter ad singula: tum demum quæ ad censuras. Ea autē attingemus potissimum, quæ pertinent ad vsum, tanquā eum in quo peccare contingit. Quæ vero speculationis sunt, Theologis Scholasticis relinquemus bona ex parte, tanquam propria ipsorū: ideoq; ab ipsis tractari solita: cum Magistro in quartum sententiarum, & cum D. Thoma in parte, à quæst. sexagesima: & à plerisq; aliis: quorum (vt & locorum iuris canonici in quibus eadem materia tractatur) meminit Henricus in initio primæ partis suæ summæ, in qua accommodata ad praxim quam habemus propositam, erudite eam ipsam materiā persequitur. Continebit vero tomus iste septem libros: quorum primus erit de sacramentis in genere. Secundus, de Baptismo. Tertius, de Confirmatione, Pœnitentia, & Extrema vnctione. Quartus, de Eucharistia. Quintus, de Ordine. Sextus, de Matrimonio, & septimus, de Censuris.




# LIBER PRIMVS ET TOTIVS OPERIS VIGE- SIMVS SEXTVS.

## DE SACRAMENTIS IN GENERE.



Hic liber complectetur octo capita; primum erit de natura, & numero sacramentorum; secundum de eorum institutione, & necessitate: tertium de eorum essentialibus, hoc est, de materia, & forma: quartum, de accidentalibus hoc est, de ceremoniis: quintum, de efficiente: sextum, de effectis: septimum de suscipiente, & dispositionibus in eo requisitis: octavum, de peccatis quibus obnoxij sunt ministrantes, vel suscipientes sacramenta, aut illis cooperantes.



### CAPVT I.

#### De natura, & numero sacramentorum.

#### SVMMARIVM.

- 1 Definitio sacramenti, & conditiones ad naturam ipsius requisita.
- 2 Cuius conditionis signa sint sacramenta noue legis.
- 3 Quis sit sacramentum significet gratiam iustificantem.
- 4 In vnoquoque sacramento distinguuntur sacramentum, & res sacramenti, quibus character additur.
- 5 Septem sunt noue legis sacramenta, & qua ratione u numerus conludatur a D. Thoma.
- 6 De fide est, non omnia sacramenta paria esse inter se.

Nu. 1.



Ad explicandam sacramenti noui legis naturam, maxime accommodata videtur definitio tradita in Catechismo ad Parochos iussu Concilij Tridentini edito (quod etiam notauit Bellarm. in *tom. 2. Controuersiarum, lib. 1. cap. 11.*) vt sit res sensibus subiecta, quæ ex Christi institutione, sanctitatis & iustitiæ tam significanda, quam efficiendæ vim habeat. Per eam enim indicantur sufficienter omnes illæ octo conditiones, quas communi Theologorum consensu ad eandem naturam constituendam requisitas idem author in *præced. cap. 9. refert.* Prima est, vt sit signum. Id quod tanquam per se notum, & a Patribus receptissimum præsupponitur a D. Thoma in *3. par. quest. 60. art. 1.* prout notat Sotus in *4. distinct. 1. quest. 1. art. 1.* Signum vero ex D. Augustin. in *2. de doctrina Christiana cap. 1.* dicitur id, quod præter sui speciem, quæ ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire: vt vestigio viso, transisse animal: & fumo viso, ignem subesse cognoscimus. Secunda est, vt sit signum sensibile: sacramentum enim essentialiter est ceremonia religionis: & ideo actus externus sensu perceptibilis. Tertia, vt sit signum, non quidem naturale, sed vestigium est transitus animalis: aut fumus, ignis: sed voluntarium seu institutum ad placidum dantis illud: perinde ac nomina & verba, vexilla, sonus tubæ, vel campanæ & similia. Quarta, vt habeat aliquam similitudinem cum re significata. Ad quam explicandam Bellarminus præter signum naturale, & signum mere voluntarium, ponit signum medio modo se habens; nempe quod quamuis habeat aliquam similitudinem cum re significata: ea tamen est indeterminata, & confusa, vt ad aliquid particulare significandum actus, egeat determinatione: quo modo imago hominis ad nullius particularis hominis similitudinem facta; vt censetur aliquem in particulari representare, debet determinari ad scripto nomine illius qui representandus est; vel aliquo signo addito, quod eidem representando sit proprium; prout

ad D. Petrum representandum, *tanquam ei proprium*, claus tenere manu: & ad D. Paulum representandum, tenere enssem, & sic de similibus.

Cuius conditionis signa esse nouæ legis sacramenta, declaratur in Baptismo. Is enim consistit in ablutione corporis ex aqua; quæ ablutio similitudinem habet cum emundatione animæ à sordibus peccatorum: ad quam significandam, & efficiendam assumitur. Sed significationem habet in determinatam (quando quidem non minus posset ad huc alia referre) quo fit vt determinetur addita ex Christi institutione, forma illa verborum: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: atque intentione ministerij, faciendi quod Christus instituit.

Quinta conditio est, vt tale signum rem sacram, non autem prophetiam representet; prout nomen ipsum sacramenti indicat: dictum enim est à sacro: patet ex eo, quod sacramentum sit religionis ceremonia. Ea res vero sacra ex D. Thom. *3. par. quest. 60. art. tertio*, triplex est: vna quidem gratia iustificans, quæ & præsens demonstratur: altera vero passio Christi, quæ commemoratur vt præterita, & vt causa gratiæ. Tertia demum vita æterna, quæ præfiguratur, vt futura, estque effectus gratiæ. Hoc patet ex sacrosancto Eucharistiæ sacramento: de quo canit Ecclesi. *10. O sacrum conuiuium*, in quo Christus sumitur, recollitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futura gloriæ nobis pignus datur. Principaliter autem, essentialiterque sacramentum significat gratiam iustificantem, quæ de præteriti per illud confertur. Nam sacramenta significant id quod efficiunt: atque sunt à Christo instituta, vt ad iustificandum, sic & ad efficiendam gratiam ipsam iustificantem.

Ad eoque sexta conditio sacramenti nouæ legis est, vt sit signum sanctificationem significans, non vtcumque; sed vt ipsa sit tunc, cum illud perficitur, suscipiturve. Id quod verba sacramentalia: Ego te baptizo, Absoluo te, Confirmo te, ostendunt.

Septima conditio est, vt signum sit practicum, quod significet sanctificationem, non tantum quæ tunc fiat, sed etiam quæ fiat vi ipsius sacramenti, tanquam causæ instrumentalis eiusdem sanctificationis: seu infusionis gratiæ animam. Neque refert quod eam non semper efficiat actus; quia id per accidens est: nimirum per indispositionem subiecti, adferentem impedimentum; prout contingit in eo qui retinens affectum perseverandi in aliquo peccato mortali suscipit baptismum: ponendo ea ratione obicem eidem gratiæ, quam alias ipse Baptismus ex se aptus est efficere. Postrema conditio est, vt sacramentum sit ceremonia religionis statæ, & sollemnis: quæ ex Christi institutione hominem coniungat cum Deo, sanctificetque.

Consentaneum autem est his, quod in vnoquoque sacramento distinguuntur sacramentum, & res sacramenti. Illud enim est signum visibile sanctificans simul, & causans interiorem

gratiam,

gratiam, iuxta iam dicta. Hoc vero, est eadem gratia significata & causata. Quibus respectu quorundam sacramentorum, puta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, additur, res & sacramentum simul dicitur; Character sacramentalis; qui simul significatur & significat, prout patebit in seq. cap. 6. & est qualitas indelebilis, quam tria illa sacramenta, perinde ac gratiam, imprimunt in anima ex Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere, canone 9.

Quod attinet ad sacramentorum numerum; septem, neque plura nec pauciora esse, certum est de fide ex cap. Ad abolendam, De hæreticis: & ex Conc. Floren. in instructione Armenorum: atque apertius ex Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere, can. 1. Id quod aduersus hæreticos bene propugnant Bellarm. tom. 2. controuersiarum, lib. 2. De sacramentis in genere, cap. 23. & quatuor sequentibus ac Gregor. à Valent. ad tertiam partem D. Thomæ, disput. 3. quest. 6. puncto 2. Illius numeri vero rationem, seu conuenientiam D. Thomas 3. par. quest. 65. ar. 1. repetit ex proportionem inter corporalem vitam & spiritalem, quæ est sacramentorum finis. Nam vt in vita corporali quædam requiruntur ex parte singulorum hominum, & quædam ex parte vniuersitatis, seu Reipublicæ. Ac ex parte quidem singulorum hominum tria requiruntur per se: nempe generatio, augmentatio, & nutritio; per accidens vero, duo: nempe remedium contra morbos, si contingat hominem ægrotare, & remedium contra reliquias morborum, vt perfecte conualescat. Duo item requiruntur ex parte Reipub. nimirum parentes, qui in ea propagent vitam corporalem: & Principes ac Magistratus, qui eam regant & ordinant. Eadem ratione in vita spirituali requiritur primo, spiritualis generatio per Baptismum. Secundo, augmentatio per confirmationem. Tertio, nutritio per Eucharistiam. Quarto, remedium contra morbos peccatorum per penitentiam. Quinto, remedium contra reliquias peccatorum per Extremam vnctionem. Sexto, propagatio hominum fidelium, seu multitudinis constituentis Ecclesiam, per matrimonium. Septimo, regimen eiusdem multitudinis, per sacramentum Ordinis. Quam rationem ad eum D. Thomæ locum explicat Suarez: sed nobis satis est, quod rem satis bene declarat, neque esse opus similitudinem per omnia quadrare.

De comparatione eorumdem sacramentorum inter se, quam D. ipse Thom. habet in seq. art. 2. & 3. videri potest Bellarm. in cit. lib. 2. cap. 28. quia enim res ad speculationem positissimum spectans, nobis sufficere potest monuisse de fide esse, quod ea non sint ita inter se paria, vt nulla ratione aliud alio sit dignius, ex definitione Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere, can. 3.

## CAPVT II.

## De Sacramentorum institutione, &amp; necessitate.

## SVMMARIVM.

7 Institutio omnium sacramentorum noue legis est à Christo: & quod necessarium aliud sit necessitate medijs, & aliud necessitate præcepti.

8 Due differentiæ inter vtramq; illam necessarij speciem.

9 Tenenda, de necessitate sacramentorum.

10 Qua dicatur necessitas sacramenti.

EX Concil. Trident. sess. 7. De sacramentis in genere, can. 1. constat de fide esse, quod sacramenta omnia noue legis sint à IESU Christo Domino nostro instituta: atque id immediate, prout Bellarm. ostendit De sacramentis in genere, lib. 1. cap. 23. Quando autem sint instituta, dicendum est postea, de singulis agendo. Vt autem intelligatur eorum necessitas ad animæ salutem, ad quam ordinantur, vt ad finem; notandum est aliquid necessarium esse ad finem, vel simpliciter; cum scilicet finis absque eo haberi non potest: quo modo pedes sunt homini necessarij ad ambulandum: vel secundum quid, nempe cum finis sine eo haberi quidem potest, non tamen ita commode: quo modo equus est homini sano necessarius ad faciendum iter. Rursum necessarium simpliciter posse tale esse, vel necessitate medijs, nimirum quando ad finem consequendum ita requi-

ritur, siue ex rei natura, siue ex pacto & institutione alterius, vt sine eo talem finem nemo consequi possit: quo modo sumptio cibi necessaria est ad conseruationem vite corporalis; & lexus virilis ad sacerdotium. Vel posse esse necessitate præcepti: vt contingit cum faciendum est, aut omittendum aliquid, non quod sit medium absolute necessarium in finem propositum: sed quod sit præceptum fieri ab eo, qui velit potiri sine: quo modo bona opera præcepta à Deo, vel ab Ecclesia, auctoritate Dei, sunt necessaria Christiano ad consecutionem æternæ salutis.

Inter quos duos necessarij modos duplex cernitur differentia; prior est, quia eo ipso, quod aliquid necessarium est ad salutem necessitate medijs, consequenter est & necessitate præcepti, quoniam ratio naturalis dicitur, præscribitque tale medium assumendum esse: non vero contra, eo ipso, quod aliquid est in præcepto, consequenter medium est ad salutem ita necessarium, vt ea sine illo haberi nequeat. Quemadmodum hoc ipso quidem quod aliquid est de se malum, est quoque prohibitum: non autem contra, aliquid eo ipso malum est de se quod prohibitum sit. Posterior differentia (qua præcedit illustratur) est, quod cum aliquid est necessarium necessitate medijs, si quis non assumat tale medium, nec consequatur finem; etiam si absque sua copia nequeat id ipsum medium habere: aut licet habere potuerit, tamen ex ignorantia inuincibili, illud non assumpsit. Cum vero aliquid est necessarium necessitate tantum præcepti: si quis propria culpa illud omittat, ipse peccat: non item si omittat ex aliqua iusta causa (vt ex impotentia vel ignorantia inuincibili) sed excusatur, neque impeditur à consecutione finis, puta æternæ salutis: vt is qui extreme indigenti non dedit elemosinam, quia non habuit quod daret; aut qui in die festo non interfuit Missæ, quia morbo graui laborabat. Porro necessarium simpliciter necessitate medijs (prout ante indicauimus) quoddam est ex rei natura, vt illud quo alæ sunt ad volandum necessariæ: quoddam vero ex alterius institutione; vt illud quo in ludis attingere metam, medium est necessarium ad reportandum brauium.

Quibus ita positis: de necessitate sacramentorum, tenendum est primo, omnia ad consecutionem salutis necessaria esse secundum quid; id est, accommodata, vtiliaque esse. Id enim est de fide ex Conc. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere, can. 4. In quo anathemati subicitur qui dixerit sacramenta noue legis, non esse ad salutem necessaria, sed superflua: hoc est, prout bene declarat Suarez in fine commentarij ad art. 4. antecitata quest. 65. D. Thomæ, qui dixerit nullum sacramentum esse necessarium ad salutem, aut aliquid esse superfluum, seu nihil ad eam utile esse: superfluitas enim vtilitati opponitur. Tenendum est secundo, nullum ex iisdem sacramentis necessarium esse ad salutem ex natura rei, quia dubium non est, quin Deus sine illis possit saluare homines. Tenendum est tertio, posita Christi institutione, quædam esse necessaria necessitate medijs simpliciter: quædam non item; namque sine Baptismo vel in re vel in voto, neminem saluari, habetur per illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cælorum. neque item sine penitentia, saltem in voto, saluari eum post Baptismum susceptum mortaliter peccauerit: habetur ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 2. in fine, vbi statuitur: sacramentum penitentia lapsis post Baptismum, ad salutem necessarium esse, sicut nondum regeneratis Baptismus. Aliqui pariter addunt sacramentum Eucharistia; sed de eo controuersia est alterius loci. De reliquis autem sacramentis constat non esse necessaria necessitate medijs simpliciter. Quatenus vero necessaria sint necessitate præcepti, suis locis dicetur Deo iuuante.

Aduerte vero nullam ex his necessitatibus esse eam, quæ dicitur necessitas sacramenti: sed aliam, qua necessarium illud dicitur, sine quo sacramentum perfici & valere nullo modo potest: qualis est necessitas aquæ ad Baptismum. Id vero sine quo potest sacramentum perfici quidem; requiritur tamen ex præcepto (et ideo sine peccato non omittitur, nisi iurgens ac legitima causa excuset) dicitur necessarium necessitate sacramenti, non quidem simpliciter, sed ex præcepto; prout exorcismus dicitur necessarius ad Baptismum: aliaque ceremoniæ ad idem sacramentum, aut ad aliquod cæterorum

requiritur. De quibus Concil. Trid. sess. 7. de sacramentis in genere, can. 13. sic decernit: Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesie Catholice ritus in solemnibus sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesie pastorem mutari posse, anathema sit. De illis agemus in seq. cap. 4.

## CAPVT III.

## De essentialibus, nempe de materia &amp; forma sacramentorum.

## SVMMARIVM.

11. Tria ad vnum quodq. sacramentum concurrere oportet vt perficiatur: materia, forma, & minister.
12. Modus compositionis sacramenti ex materia & forma.
13. Materia cuiusq. sacramenti indeterminata quidem est quoad determinationem, non tamen quoad rem.
14. Materia & forma sacramentorum certa, definitaq. sunt ex Christi institutione.
15. Ecclesia nequit mutare essentialia sacramentorum, nec effectum eorum impedire.
16. Quod in sacramento, & res, verbi: & verbum, rei habere possit rationem.
17. Que coniunctio materia & forma requiratur ad sacramentum.
18. Quanta uenit vtriusq. propinquitas.
19. Qua ratione sacramentum Eucharistie consecratur constare & verbis.
20. Mutatio essentialis in materia & forma sacramenti, reddit istud inualidum: non item accidentalis. Et quando essentialis contingat in materia.
21. Quando in forma.
22. Ad sacramentum nihil refert. cuius idiomatis sit ipsius forma, neque an eam intelligat qui administrat illud, vel suscipit.
23. Dummodo verba habeant significationem vsu receptam, qualem sacramenti forma exigit.
24. Sex modi quibus fieri potest mutatio in sacramenti forma: & ratio indicandi quando illa sit huic essentialis, & quando accidentalis.
25. Quid sit faciendum in probabili dubio, an ex mutatione forma pereat.
26. Quando ex accidentali mutatione forma sacramentum irritum reddatur, vel non.

II. OMNIA legis noue sacramenta tribus perficiuntur, vt Concilium Florentinum in instructione Armenorum decernit: videlicet rebus, tanquam materia; verbis, tanquam forma: & persona ministris conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficiatur sacramentum ipsum. Quo quidem decreto significatur vnumquodque antea memoratorum sacramentorum, ex rebus & verbis tanquam partibus componentibus constare. Et satis significauit D. Augustinus relatus in cap. Detrahe, 1. quæst. 1. dicens: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Atque patet ex eo quod nomina formæ & materiæ, sint partium substantiam rei constituentium. Significatur pariter ex ministro pendente: tanquam effectum nimirum ex suo efficiente: de quo in sequenti capite quinto. De eadem vero materia accommodata ad nostrum institutum dicturi: quæ sunt speculationis scholasticæ relinquemus ei qui volet videnda apud Francisc. Suarez tom. 3. in 3. part. D. Thom. disput. 2. late & crudite suo modo ea persequentem.

12. Notandum est autem primo cum Bellarm. De sacrament. in genere, lib. 1. cap. 18. sacramentum non esse quidem proprie aliquod compositum physicum: habere tamen cum eo similitudinem quandam. Nam vt in composito physico materia præcedit, & ad eam accedit forma; sic accedit verbum ad elementum, seu ad rem, & fit sacramentum. Deinde sicut in composito physico materia est indeterminata, & ex se indifferens ad quamlibet substantiæ corporeæ spe-

ciem; & per formam, ad aliquam certam determinatur: sic in sacramento (quod cum de se signum sit, non aliter componitur ex rebus & verbis, quam vt significant) rei significatio indeterminata, determinatur per significationem verbi: nec aliter res & verbum veniunt in sacramenti compositionem, quam per talem determinationem significationis. Exemplo est compositio Baptismi ex humani corporis ablutione ex aqua, & ex prolatione verborum: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti facta secundum Christi institutionem. Hæc enim determinate significando emundationem animæ per gratiæ infusionem, ad eandem significationem determinat ablutionem prædictam: quæ quidem potest indifferenter, vt illam, ita & aliam emundationem significare: verbi gratia liberationem ab aliqua infamia tanquam à forde.

Notandum est secundo, quod etsi materia sacramenti quoad significationem indeterminata sit, quoad rem tamen certam ac determinatam, non minus, quam formam. Id quod patet inductione: cum enim duplex distinguatur: vna remota, & altera propinqua: Baptismi materia remota, est aqua naturalis: penitentia, peccata: Eucharistia, panis triticeus, & vinum ex vuis vitis expressum: Confirmationis, Chrisma ex oleo & balsamo confectum, & ab Episcopo benedictum: Extremæ vnctionis, oleum oliuarum, ab Episcopo item benedictum: Ordinis, instrumenta singulorum ordinum: & inter cætera, ordinis sacerdotalis, calix cum vino, & patena cum hostia: Matrimonij denique personæ habiles ad contrahendum. Proxima vero materia Baptismi, est ablutio: Penitentia, confessio peccatorum cum contritione: Eucharistia, species panis & vini: Confirmationis & Extremæ vnctionis, vnctio est antememorato oleo: Ordinis, porrectio seu traditio supradictorum instrumentorum: Matrimonij denique, coniugum consensus ab ipsis expressus signo externo. De quibus singulis erit suis locis in sequentibus dicendum.

Hoc autem loco notandū est vniuersè, in materia remota requiri debitam qualitatem, & quantitatem: vt in aqua Baptismi, quod fit vera & elementaris: atque tanta vt idonea sit ad effectum exterioris ablutionis corporis, per quam possit significari interior animæ ablutio: quæ Baptismo ipso tanquam Dei instrumentum perficitur.

Si quis quarat, vtrum materia & forma sacramenti certæ sint & finitæ ex Christi institutione. Respondendum est affirmatiue. Cum enim talis determinatio facta sit ad particularem sacramenti constitutionem: atque, vt habitum est initio proxime præcedentis capituli, de fide sic Christum omnium sacramentorum institutorem esse: non alio, quam ab ipso censeri debet facta talis determinatio; præsertim cum sufficienter id colligatur ex scriptura sacra, Sanctorum Patrum ei adiuncta expositione, & Ecclesie traditione, prout videre est apud Bellarm. lib. 2. de sacramentis in genere, cap. 24. & Suarez in tom. 3. in 3. partem D. Thom. disput. 2. sect. 3. Accedit quod cuiusdem fuerit, sacramenta quoad partes suas intrinsecas determinare, cuius fuit illa instituire. A solo Deo autem institui potuerunt, cum sint signa practica, quæ significando gratiam, instrumentaliter illam efficiunt. Neque gratiæ potest esse causa alia principalis tali instrumento vtens ad talem effectum, quam Deus, iuxta illud Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Et vt D. Thom. 3. par. quæst. 60. art. 5. bene argumentatur, solus Dei est sanctificare hominem: quod fit per gratiæ infusionem in animam.

Atque hinc est quod Ecclesia non potest mutare ea quæ sunt essentialia sacramentis, prout atigit Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. probantque Couar. in lib. 1. variar. resolution. cap. 10. num. 7. & Suarez in seq. sect. 6. Neque etiam potest impedire effectum sacramentorum, quando essentialia sufficienter concurrunt in eorum administratione: nempe cum idoneus minister, adhibita idonea materia & forma, intendit conficere sacramentum, prout quoque probant Couar. in sequ. num. 8. & Suarez in eadem sect. Ratio verò in promptu est; quod Dei voluntati nemò resistere possit, ex cap. 13. libri Esther vers. 9. Quamquam in penitentia & Matrimonio est aliqua à cæteris diuersa ratio: prout idem Couar. notat in Epitome 4. Decret. par. 2. cap. 6. §. 10. nu. 17. & adhuc Suarez in fine eiusdem

eiusdem sect. propterea quod requirunt actiones nonnullas (vt penitentia actionem iudicij; & matrimonium actionem cum altero contrahentis) ad quas per Superiorem, inferior fieri potest inhabilis, ex qua in habilitate oritur impedimentum cōsensus omnium ex Christi institutione necessariorum ad ea Sacramenta.

16. Notandum est tertio, vt Sacramentum re & verbo constare dicatur, non esse necessarium: vt ea res non sit verbum, vel illud verbum non sit res: nam satis est si aliquid fungatur vicere, & aliud vice verbi. Quod probatur: quia in Sacramento penitentia fieri potest, vt omnia ad substantiam illius spectantia sint verba. Absolutio enim quæ est forma ipsius non nisi verbis datur: fierique potest vt peccata, quæ sunt eiusdem materia remota, non sint alia, quam verbo commissa: atque vt actus penitentis qui sunt materia proxima, non aliter sensibilia sint, quam verbis expressa: nempe cum nullum aliud datur signum interioris contritionis, & iudicij satisfactionis faciendæ, quam oris confessio: non gemitus, non suspiria, non genuflexio, aut aliud id genus. Nam penitentia Sacramentum nihilominus tunc constabit re & verbo: quia peccatum verbo commissum, erit materia ipsius remota: non quidem vt verbum, sed vt peccatum, quomodo quandam rei habet rationem, confessio item oris est materia ipsius proxima: non vt oratio quedam, sed vt actio penitentis: quæ prout est signum externum, internæ contritionis, constituitur materia talis Sacramenti.

De forma quoque non esse necessarium, vt sit verbum, ostendi potest ex matrimonio, in quo omnium sententiâ, loco verborum sufficienti nutus, aut literæ: dummodo illis sufficienter exprimatur vtriusque partis consensus: quia Christus, inquit Suarez in cit. disp. 2. sect. 2. column. penult. nihil voluit ad Sacramentum illud exigere aliud tanquam sensibile signum; quam quod necessarium esset, ad perficiendum humanum contractum: ad quem sufficientia signa qualibet, quibus mutui consensus contrahentium satis exprimitur, etiam si ea non sint propriè verba.

17. Notandum est quarto, conuenire inter doctores; quod etiam materia & formæ ratio, partibus Sacramenti non tribuatur propriè: sed tantum secundum quandam accommodationem; nihilominus necessarium esse ad constitutionem Sacramenti, vt ex aliquo modo coniungantur: quia non nisi aliquo modo coniunctæ, possunt facere aliquo modo vnum. Controversia est vero, qualem oporteat esse talem coniunctionem. De qua tres diuersas sententias refert Suarez in ead. disp. 2. sect. 2. column. penult. & eam sequitur, quæ est Soti in 4. dist. 3. questio. vniuersa. 8. versu. At vero: nempe sufficere coniunctionem, qua eadem partes moraliter simul esse censentur: quia cum Sacramenta hominibus præstentur perficienda: sufficit illa perfici more humano, adcoque illorum materiam, & formam simul esse eo modo, quo aliqua apud homines dicuntur simul esse (moraliter nimirum) quæ sibi immediate succedunt. Si quis enim manu tenens crucem dicat, Ego osculor crucem, postq; deinde osculetur, dicitur moraliter simul protulisse verba, & osculum dedisse cruci.

18. Quando autem propinquitas ad illam immediationem requiratur, docet Suarez ibidem. In quiens ad Sacramentum inter illius materiam & formam, requiri talem propinquitatem moralem, vt ex modo quo fit actio, quæ est proxima Sacramenti materia; & ex modo, quo proferuntur verba, quæ sunt eiusdem forma: satis intelligatur secundum humanum morem concipiendi, quod vnum eorum alteri applicetur, ac vnum ab altero deturmetur. Quo fit vt pro diuersitate Sacramentorum, diuersa requiratur propinquitas materiae & formæ. Quando enim propinqua materia Sacramenti est ministri actio, vt in Baptismo, Confirmatione, Extrema vntione, & Ordine: forma illi: vel illa, formæ debet succedere immediate, non quidè mathematicè, quia vix aliqui possent vnquam constare de veritate, & certitudine Sacramenti: sed moraliter, siue cum propinquitate ea & subordinatione, cum qua per modum materiae & formæ, censetur vnum signum componere, eo modo scilicet, quo multæ dictiones successiue, etiam cum aliqua interruptione morula prolata, vnam orationem componere iudican-

tur. In Sacramento vero matrimonij; quod rationem habet contractus, tanta propinquitas inter mutam traditionem, & acceptationem contrahentium requiritur, quanta est necessaria ad contactum humanum. Et in Sacramento penitentia, quia per modum iudicij perficitur, ipsiusque materia non est (sicut prius memoratorum Sacramentorum) actio ministri, sed ipsius penitentis: modum habens accusationis rei, sicut & absolutio, quæ est eiusdem Sacramenti forma, modum habet sententiæ iudici in reum accusatum prolata: vnde fit vt in tali Sacramento, sufficiat ea propinquitas quæ moraliter satis sit, vt id ipsum iudicium peragi, & per sententiam consummari intelligatur. In Eucharistia autem diuersa est ratio à cæteris Sacramentis: quæ cum in vltimo quodam & operatione consistant, tam quoad materiam, quam quoad formam: similiter transeunt quoad vtramque: non item Eucharistia, in qua forma quidem transit, vt pote consistens in verbis; sed manet materia proxima ipsius: vt pote quæ res est permanens: species, inquam, panis & vini, adeo vt difficultas sit non modica: quo modo ei conueniat, ex re & verbo tanquam materia, & forma constare. Ad quam dirimendam longiore examinatione opus esse, Suarez merito monet.

Huic loco vero, pro ratione nostri instituti, sufficere potest annotasse, Eucharistia formam simul esse cum materia eiusdem remota, pane scilicet, & vino: quandoquidem super eam presentem proferri debet ad consecrationem corporis & sanguinis Christi; hanc simul cum illa cessare: neque enim substantia panis & vini manet post consecrationem. Cum materia vero propinqua eandem formam simul esse successiue, illi enim hæc proxime succedit: siquidem prolatis verbis consecrationis, ex pane & vino, manentibus, tamen eorum accidentibus, sit corpus & sanguis Christi. Quæ accidentia, continentia corpus & sanguinem Christi, sunt materia proxima Eucharistia: cuius applicatione ad hominem (hoc scilicet sumente illam in diuinum cibum) producit gratia in ipsius anima: nõ autem coniunctione formæ cum prædicta materia. Neque enim talis coniunctio est à Christo instituta proxime ad talem productionem, sed ad antecedentem consecrationem.

Regule aliquot notanda de mutatione materiae, & formæ Sacramenti.

206. Prima est, Si formæ & materia fiat mutatio essentialis, Sacramentum effici nullum. Hæc in eo fundatur, quod res esse non possit, deficiente aliquo spectante ad ipsius essentialitatem.

Secunda est, Si in materia aut forma Sacramenti fiat mutatio tantum accidentalitatis, non ideo destruitur Sacramentum, sed factum tenere. Hæc fundatur tum in eo, quod mutatio accidentalitatis non variet essentialitatem rei; tum etiam in definitione capituli, Retulerunt, De consecrat. distinct. 4. quæ est ob accidentalem mutationem formæ Baptismi ibidem memoratam, illum non fuisse iterandum tanquam inualidum.

Tertia, Tunc solum materiae mutationem esse essentialitatem, cum tanta est, vt iuxta communem conceptionem & vsum hominum, ea minime in ratione & nomine conueniat cum illa materia, quam vt à Christo præscriptam, Ecclesia in collatione Sacramenti vsurpat. Quomodo panis aquæ maceratione resolutus in massam, & vinum resolutum in acetum, non sunt materia sufficientes ad Eucharistiam: quia panis & vini nomen, ac rationem non retinent secundum communem hominum conceptionem & vsum; etiam si forte physice non differant specie. Fundatur autem hæc regula in eo, quod materia cuiusque Sacramenti sit à Christo determinata in ordine ad vsum hominum; sicut Sacramenta ipsa illi instituit suscipienda ab homine ad certi, determinatique finis consecutionem. Sic igitur in Eucharistia sufficientes materia Sacramenti sunt panis, & vinum, quæ simpliciter censentur talia in ordine ad humanum vsum: quæ vero non censentur, nec materia sufficientes censentur: & sic de cæteris. Bene autem monet Suarez in citata disput. 2. sect. 4. obseruandam esse traditionem Ecclesie vniuersalis, vel ab Ecclesia vniuersali approbatam, ad iudicandum

- quid sit vel non sit de substantia materiæ Sacramenti : quia Ecclesia, quæ est columna & fundamentum veritatis, non potest errare in ea re, maximè pertinente ad doctrinam fidei & morum. a
21. Quarta est, Tunc mutationem formæ essentiali esse, cum variat sensum verborum eiusdem, cum vero nõ variat, esse tantummodo accidentalem. Hæc in confundatur, quod de essentia formæ Sacramenti sit, determinare illius materiæ, quod, *vt ante habitum est*, facit significando; & ideo nõ per verborum sonum, sed per eorum sensum. Quare si maneat idem sensus, significatioq; verborum, in qua consistit formalis horum integritas, quantumvis mutantur voces, censetur eadem forma manere. Contra vero tolli iudicabitur, si sensus pereat, quantumcunque vna solum litera mutetur; vt si dicatur, Ego te baptizo in nomine matris & Filij & Spiritus sancti.
22. Ad plenioram autem intelligentiam notandum est primo, nihil referre ad validitatem Sacramenti, cuius idiomatis sint voces, ex quibus constat ipsius forma, dummodo habeant debitum sensum. Hoc satis patet ex dictis: & ex eo, quod oporteret alioquin Sacramenta cõficere in ealiqua, seu idiomate quo Christus vsus est: quod cõmuni Ecclesiæ vsui aduersatur. Neq; ratio dari potest, cur vnum de ceteris idiomatis potius, quam aliud dicatur ad formam Sacramenti necessarium, vt bene argumentatur Suarez *in cit. sect. 4.* explicans eandem quartam regulam. Vbi & addit ex Caietano, mixtionem idiomati, etiam si in eodem numero forma fiat, non esse contra substantiam Sacramenti, dummodo voces in vna orationem coniungantur & referant sensum, quem forma debita requirit.
- Notandum est secundo, non esse necessarium ad Sacramenti substantiam, vt qui illud administrat vel suscipit, intelligat idioma formæ verborum; sed sufficit vt habeat intentionem Christi, & Ecclesiæ, quoniam verba ea omnem suam vim habent ex Christi institutione.
23. Notandum est tertio, iuxta D. Thom. 3. par. quest. 60. art. 7. ad 3. verum sensum verborum censendum esse illum, quem secundum propriam & principalem significationem suam illa habent ex prima ipsorum impositione, aut saltem ex accommodatione vsus. Qua de re agens Sotus *in 4. dist. 1. quest. 1. art. 8.* tangit, id intelligendum esse de accommodatione, non quidem priuata autoritate, pro libito facta per inuentionem nouarum vocum, attribuendo eis significationem verborum talis formæ: sed de recepta publice in aliqua natione vel prouincia; quia cum Sacramenta sint signa propter bonum commune instituta, perfici debent verbis, quæ signa sint authentica, & in communi vsu posita. Sic ergo, *inquit ille*, Sacramentum penitentia valerit, si quis dans absolutionem Imperatori dicat, Absoluo vestram maiestatem ab omnibus peccatis suis. Non consecraret autem, si pro verbis, Hoc est corpus meum: vsurparet eorundem prima elementa: H. E. C. M. quia mutatio in forma fit illic secundum accommodationem vocu publicè receptam; non item hic. Videri quoque potest Suarez *in eadem sect. 4. cum explicat secundam mutationem.* Vbi etiam de verbis ambiguis admonet: si debita intentione proferantur in eo sensu, quo debent sacramentalia verba, sufficere ad substantiam Sacramenti: quia licet quoad exteriorem sonum maneat in sua ambiguitate; tamen ex animo & intentione proferentis determinantur ad significationem & sensum formæ Sacramenti, ambiguitate ipsa sublata.
24. Notandum est quarto, mutationem in forma Sacramenti fieri posse sex modis. 1. per additionem alicuius vocis. 2. per detractionem alicuius vocis. 3. per vocis alicuius permutationem: ponendo scilicet vnam pro alia: vt verbi gratia, Tingo te; pro Baptizo te. 4. per corruptionem, qualis est antememorata ex cap. Retulerunt, De consecrat. dist. 4. Ego te baptizo, in nomine Patris, &c. 5. per transpositionem, vt dicendo, Te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizo. 6. per interruptionem, vt si postquam dixisti. Hic est calix, quiescas: & post addas, Sanguinis mei.
- De his Sotus & Suarez locis citatis sigillatim docent: num substantiales, an accidentales sint ipsi formæ Sacramenti; sed nobis sufficere potest, notare cum Bellarm. De Sacramētis in genere *libr. 1. cap. 21. propos. 2. norab. 3.* de talibus mutatio-

bus, sintne substantiales, an accidentales iudicium non debere esse mathematicum sed morale. Sic nimirum, vt sensus verborum indicetur tunc conseruari, cum audientes intelligunt; concipiuntq; per ea, etiam corrupte prolata, id ipsum significari, quod solet per integra verba formæ Sacramenti. Ad quod declarandum ille inducit exemplum casus propositi in cit. cap. Retulerunt, qui tantummodo quidem pertinet ad mutationem factam per corruptionem, sed pari ratione accommodari potest ad ceteras mutationes, quæ viri prudentis iudicio, eas ex cõmuni vsu, & circumstantijs expendentis, non sunt ita notabiles, vt moraliter loquendo identitas sensus verborum constituentium formam Sacramenti, debeat dici ac censerì perire: Pari ratione, *addit idem*, iudicandum est de interruptione. Si enim quis in consecranda Euchristia diceret, Hoc est cor: & postquam quicuisset per spacium notabile, adderet, pus meum: prudentium iudicio non censeretur dixisse, Hoc est corpus meum. Secus est vero si postquam dixerit, Hoc est cor, patiens aliquam breuem mentis euagationem, non nihil inter quiescèdo, adderet, pus meum. Nec enim iudicabitur extantilla interruptione, formam Sacramenti perijisse.

Porro cum dubium rationabile fuerit, num sensus formæ Sacramenti per factam mutationem perierit, ea iteranda est: & quidem sub conditione maxime in Baptismo, Confirmatione, & Ordine: quia cum imprimant caracterem indelebilem, non nisi semel ab eodem homine recipi possunt ex definitione Concilij Trid. *sess. 7. can. 9.* De Sacramētis in genere. Vnde vt in eis sacrilegium iterationis vitetur: sub conditione in Baptismo, *exempli gratia*, dicendum est, Si nõ es baptizatus, ego te baptizo: ex cap. De quibus, Extra, De Baptismo.

Notandum est quinto, quoties dubium est probabile, an aliquid sit de Sacramenti necessitate, curandum esse vt non omitatur illud quod est certius. Quamuis enim probabilitas opinionis valere possit ad excusationem a culpa; nunquã tamen supplet id quod Christus voluit esse de necessitate Sacramenti.

Notandum sexto, nullo modo licitum esse mutare verborum formam, etiam si mutatio sit solum accidentalis: quia licet integritas accidentalis non sit de necessitate Sacramenti, est tamen de necessitate præcepti, iuxta post dicenda in cap. vltimo. Imo nonnunquam ob solam accidentalem formæ mutationem, Sacramentum non perficitur ex D. Thom. 3. par. quest. 60. art. 7. ad 3. & in corpore, patetque ex antememorato cap. Retulerunt. Tunc nimirum, vt Bellarm. loco cit. *paucis tradit*, cum quis vult per talem mutationem introducere essentiali ritum nouum, respectu totius Ecclesiæ. Ratio est: quoniam eo ipso non haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, prout requiritur ad Sacramenti validitatem, iuxta dicenda in sequenti cap. Secus est vero, si nouum respectu tantum alicuius Ecclesiæ particularis, quam putat falsam, reueraque intendit facere quod vera Ecclesia facit: licet addat aliquid tanquam essentiali, sed quod tale non est: interea nihil de essentialibus excludens, neque formæ sensum varians, aut variare intendens. Quod addo, quia si non intendat sensum verum, sed falsum, & erroneum velit per talem formam significare, mutatio tunc erit substantialis, & sufficiens ad reddendum Sacramentum irritum. Qua de re late Suarez in eadem disputat. 2. *sect. 5.* Exemplum est: si baptizans dicat, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beatissimæ Virginis. Nam per eam additionem factam legitime formæ Baptismi; si intendat aliquem sensum contrarium eidem formæ, vt Beatam Virginem esse quartam personã diuinitatis, mutatio erit substantialis: sin secus, vt si solum intendat inuocare B. Virginem, vt Dei matrem, mutatio erit tantum accidentalis: vt memoratus quoq; author notat.

Notandum septimo, Eum qui existimat aliquam particulam non esse de essentia formæ, vt inuocationem Trinitatis non esse de essentia formæ Baptismi, & nihilominus eam profert: aut qui falso existimat aliquam particulam esse de essentia formæ, quam & profert: si exclusus opinionibus alijs erroneis quas tenet, intentionem hanc habeat, vt per verba à se prolata facere velit quiddam Christus quoad tale Sacramentum instituit, & Ecclesia vere tenuit & tenet: atque

adeo facere illud quod fieri potest per omnia illa uerba, validum esse Sacramentum: quia licet decipiatur errore speculativo, & opinione priuata: non tamen errore practico & opinione communi Ecclesiae. Quod declaratur exemplo illius qui matrimonium contrahit, falso existimans tali contractu subesse impedimentum dirimens: nam si seruet omnia necessaria, uere contrahit, prout docet Coar. in Epirome quarti Decreti 2. parte capite 3. §. 7. numero 2.

CAP. IV.

De accidentalibus, hoc est, de Sacramentorum ceremonijs.

S Y M M A R I V M.

- 27. Quae proprie dicantur ceremonia Sacramentorum, & magnam earum uarietas.
- 28. Commune ceremonijs: & quod earum usus plus sit, & salutaris.
- 29. A solo Papa ea mutari possunt: nec usuruari passim possunt à quouis.
- 30. Quem usum eadem habeant.
- 31. Quo modo conueniat eis producere certos effectus spirituales.

27. CEREMONIAE Sacramentorum, Sacramentalia dicuntur proprie: etiam si id nomen extendatur quoque ad nonnullos ritus, qui extra Sacramenta quidem seruantur in Ecclesia, sed sunt eiusdem fere rationis cum ipsis ceremonijs: sicut Waldensis de Sacramentalibus agit tomo integro: agunt & alij quorum Suarez meminit in sequent. disput. 15. sect. prima in fine. Hic uero sermo est tantum de praedictis ceremonijs Sacramentorum: de quibus aduersus sectarios agit Bellarm. lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 25. & sequentibus. Quae ad nostrum institutum necessaria uidentur, quam paucis herit poterit, complectemur aliquot documentis.

Primum est: Ceremonias Sacramentorum, seu Sacramentalia uocari proprie, actiones quasdam & circumstantias religiosas quae in Sacramentorum administratione, uel in sacrificij oblatione Ecclesia seruat, praeter ea quae sunt de Sacramenti, aut sacrificij essentia. Eas autem esse in tanta uarietate, ut naturaliter sumptae, per omnia praedicamenta distingui possunt. Aqua enim admiscenda uino in sacrificio est praedicamenti substantia: & modicum in quo admisceri debet, est quantitatis continua: sic trina mersio in Baptismo est quantitatis discretae: & qualitatis est, quod panis debeat esse azimus. Relationis autem, quod interueniente benedictione quadam, talia sint deputata, ac referantur ad Sacramentum uel sacrificium peragendum. Actiones uero & passiones, sunt orationes, gestus data signa: & caetera similia. Ad ubi porro, & quando, pertinet certi loci & temporis obseruatio. Ad situm esse, genuflexio, & corporis incuruatio: & demum ad habere, uelibus certi generis amictum esse.

28. Secundum documentum est: Omnibus ceremonijs Sacramentorum commune esse cum Sacramentis, & sacrificio, quod sint externi actus uirtutis religionis differant uero, quod sacrificium contineat supremum Deicultum, quo illius excellentiam, per rei oblate sacrificeationem immutationemue profitemur: Sacramenta uero ordinantur ad sanctificationem fidelium, quam significant & conferunt in noua lege. At uero ceremoniae, ad cultum Dei, intermedio sacrificio, aut Sacramento aliquo, ordinantur: utpote, institutae ut conuenientiori modo ac cum reuerentia maiore sacrificium offeratur, aut Sacramentum administretur.

Tertium documentum est: De fide esse (iuxta definitionem Concilij Trident. sess. 7. can. 13. cuius uerba uetulumus in fine praecedentis cap. 2.) usum Sacramentalium, seu ceremoniarum quae in Missae sacrificio & Sacramentorum administratione Ecclesia nunc obseruat, pium, & fidelibus salutarem esse. Id

quod patet ex illo generali principio: quod non possit Ecclesia errare in ijs quae ad fidem uel mores pertinent: quandoquidem ipsa est columna & firmamentum ueritatis ex capite 3. prioris ad Timoth. Ad fidem uero & bonos mores Ecclesiae pertinet maxime, ut in ea ceremoniae sint religiosa & salutare: non autem superstitiosa & uana. De qua re pluribus Suarez, in seq. sect. 2. Sicut & in sect. 3. de eo quod tales ceremoniae non sunt à Christo immediate institutae, sed ab Ecclesia, per potestatem quam ei Christus ipse tradidit. In ea immorari non est necessarium ad nostrum institutum, cui sufficit quod ita receptum sit, communi Catholicorum consensu.

29. Quartum documentum est: De fide quoque esse ex eodem canon. 13. quod Sacramentalis ceremoniae non possint per quemcunque Ecclesiae pastorem mutari. Circa quod notandum est, Summum Pontificem de plenitudine suae potestatis, quam habet eadem cum potestate qua institutae sunt tales ceremoniae, posse eas ipsas mutare etiam si non debeat sine magna necessitate, uel utilitate. Alios autem pastores, cum potestatem habeant inferiorem illa, quae eadem institutae sunt: non modo non debere, sed nec posse eas mutare: quia inferiores non possunt derogare ijs, quae à superioribus institutae, praecipueque sunt, sed tenentur illis se conformare.

30. Quintum documentum est: Sicut ceremoniae Sacramentalis sunt per Ecclesiam institutae: ita ministros illarum esse eos quos Ecclesia ipsa designauerit. Ad eam enim pertinet designare ministrum, cuius est instituire ministerium. Qui autem illi sint, non potest generaliter doceri. Particulariter autem docendi locus proprius in sequentibus datur, cum de uniuersisque Sacramenti ministro in particulari tractatur.

Ceterum usus talium ceremoniarum est: tum ut Sacramenta ipsa cum debito honore & reuerentia tractentur, & in maiore estimatione habeantur: tum ut mysterium nostrae fidei intelligentia crescat, & memoria retineatur: tum demum ut fidelium deuotio conseruetur, & augeatur: prout explicat Suarez in citata disput. 15. sect. 2. sub finem. Quae etiam in sequenti sect. 4. explicat quomodo eis conueniat producere quinque fructus: qui si non omnibus illis, ac certe nonnullis tribuntur quorum primus est auxilium aliquod, seu bonus aliquis diuinae gratiae motus: secundus, remissio culpae uentilalis: tertius, remissio alicuius poenae temporalis, cuius reatus manere solet remissa culpa: quartus, demonis expulsio, uel inhibito ne laedat: quintus, commodum aliquod temporale, ut sanitas uel aliud huiusmodi.

31. Summa autem eorum, quae idem laus tradit, est: nullum ex sacramentalibus, aliquem huiusmodi effectum producere, ex opere, ut uocant, operato: quia oporteret alioquin ipsum habere uim, qua ad eius praesentiam talis effectus produceretur: quod per Ecclesiae potestatem fieri non potest. Nec enim ratio datur, qua talis potestas sufficienter affirmetur; praesertim cum sicut solius Dei est talia taliter operari: ita etiam solus sit, signa efficacia instituire, quibus positae illa perficiantur. Accedit, quod etsi Deus potuerit talem potestatem dare Ecclesiae: eam tamen de facto non dedisse, ex eo satis intelligatur, quod in benedictione & consecratione rerum quam Ecclesia facit, pro consequendis à Deo praedictis effectibus, tantum habeatur oratio, qua talia postulantur. Duo igitur tantum modi sunt quibus per Sacramentalia iidem effectus ceteri possunt produci. Alter est, quando ea sunt actiones; tunc enim quia sunt actiones de se bonae, si fiant in gratia cum debita intentione, debitoque modo, mereri possunt, ex opere ut uocant operantis, consecrationem talium effectuum à Deo. Alter est, quando ea sunt substantiae aliquae in quarum benedictione, uel consecratione per Ecclesiae orationem, ipsae specialiter ordinantur ad tales effectus. Cum enim preces Ecclesiae magnam uim habeant apud Deum, qui illam diligit ut sponsam: dici potest, tales effectus per modum impetrationis, à Deo specialiter conferri adhibitis huiusmodi Sacramentalibus. Quo modo existimandum est in templo consecrato, ratione consecrationis Deum specialiter assistere, ad exaudiendas fidelium orationes, uel animos eorum ad deuotionem excitandos,



tandos, & sic de alijs. Addit Suarez eam talium effectuum consecutionem non esse infallibilem: quia non est fundata in speciali aliqua Dei promissione, cum de ea nihil constet; sed in cōmuni lege & efficacia orationis, quæ non habet semper effectum, præsertim quando pro alio funditur, prout docuimus in prima parte lib. 4. num. 63. ex D. Augustino tract. 102. in Ioannem.

## CAP. V.

## De causa efficiente Sacramentorum.

## SUMMARIUM.

32. Triplex causa efficiens Sacramenti, quarum principalis est Deus.
33. Duæ reliquæ, humanitas Christi, & aliquis homo ultra Christum.
34. Ad Sacramenti validitatem non est necessaria in ministrante illud, probitas morum.
35. Malus minister, ut potest verum Sacramentum conferre, potest & eiusdem verum effectum, puta gratiam.
36. Ad Sacramentum perficiendum requiritur in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia.
37. Virtualem eam esse sufficere potest non autem esse tantum habituales.
38. Quæ dicatur actualis intentio: & quod virtualis dicatur dupliciter, quæq; dicatur habitualis.
39. Quatenus ad Sacramenti validitatem sufficiat, aut non sufficiat intentio conditionalis.
40. Intentio faciendi quod facit Ecclesia quæ creditur vera, sed non est, potest sufficere ad Sacramenti validitatem.
41. Quæ peruersa intentio ministri non impedit Sacramenti validitatem, & quomodo iudicetur de intentione ad hanc sufficientem.
42. Error in intentione circa personam, non impedit validitatem Sacramenti.

32. **T**riplex quemadmodum Bellarm. notat lib. 9. De Sacramentis in genere cap. 23. consideratur a Theologis causa efficiens Sacramentorum: vna principalis, & omnino independens, in qua est potestas autoritatis: altera instrumentalis quidem, sed instrumenti coniuncti, quæ est potestas quædam excellentiæ; & tertia instrumentalis, instrumenti separati, in quo sit potestas ministerialis. Prima autem est solus Deus; certum enim est ipsum esse, qui Sacramenti dedit vim conferendi gratiam: solumque esse, qui potest hanc infundere in animam, & characterem in eadem imprimere indelebilem: atque ad tales effectus assumere & eleuare Sacramenta, ut instrumenta: prout notatum est à Sorio in 4. dist. 1. quest. 3. art. p. conclus. 3. cum D. Thoma 3. par. questio. 64. art. 1. Vbi aduertit, Deum sicut per omnipotentiam suam potest sine instrumento quicquid libuerit facere: ita etiam posse ad id faciendum, quibus voluerit rebus vti; non quidem ut inuertur: sed vel ut easdem res commendabiles reddat, vel in eis infinitam suam potentiam ostendat; sicut ostendit, quando luto reddidit cæco visum Ioann. 9. & quando spūto, visum loquendi reddidit muto, Marci 7. vel etiam animorum salutis consulat, prout Sacramentis vtitur ad infundendam in eas diuinam suam gratiam.

33. Altera Sacramenti causa efficiens, est humanitas Christi hypostatice vnita diuinitati: ratione cuius vnionis, potestas ipsius dicitur potestas excellentiæ, eo quod conueniat illi tanquam diuinitatis instrumento eidem coniuncto; dicitur & ministerialis, eo quod Christus, ut homo, non habeat eam independetem, sed à diuinitate deriuatam ex D. Thom. & Caiet. 3. par. quest. 60. art. 5. & 64. art. 3. Per quam excellentiæ potestatem sunt quoque à Christo instituta omnia Sacramenta: minime vero ab Apostolis, iuxta definitionem Concilij Tridendi, sess. 7. De Sacramentis in genere, canone primo.

Quæ re plenius Suarez in tertiâ part. D. Thom. 10. 3. disp. 2. sect. 1. In seq. sect. secunda disputans, An ab alio, quam à Deo

institui poterint; quod non est præsentis instituti: ad quod sufficit notare nusquam inueniri datam puræ creaturæ talem potestatem: ut satis intelligitur ex memorata definitione Concilij Tridendi: neq; in posterū dandam esse propterea merito credi; quod sicut lex Euangelica ad mundi finem vsque duratura elata & institutio Sacramentorum, ipsius semper mansura sit, nec in aliquo mutanda. Eundem autorem qui volet legat, & Greg. à Valent. tomo. 4. disp. 3. quest. 5. puncto 3. in principio.

Tertia causa efficiens Sacramenti, est, homo, non autem Angelus vel anima humana separata à corpore: quamuis extraordinariè Deus ad tale ministerium eis vti possit, ex D. Thoma 3. par. questio. 64. art. 7. Namque in sacris libris non alij indicantur Sacramentorum ministri, quam homines, Deique potestas ad conferendam suam gratiam, nulli creaturæ est alligata. Videri possunt Sotus in 4. dist. 1. questio. 5. art. 7. & Suarez in sequent. disp. 13. sect. 1. Non omnes autem homines, etiam Christianos, habere potestatem conferendi omnia Sacramenta, definitum est in Concilio Tridendi, sess. 7. De Sacramentis in genere, canone 10. Id quod aduersus hæreticos propugnat Bellarminus libro 1. capit. 24. & 25. De Sacramentis in genere. Nota vero pro praxi in Baptismo quidem sufficienter ad Sacramenti validitatem quemlibet hominem posse ministrum esse; sed in Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema vnctione posse solum Sacerdotem, & in Confirmatione, ac Ordine (saltem ordinariè) solum Episcopum, atque in Matrimonio eos qui illud contrahunt: prout in sequentibus exponetur proprijs locis. Adhæc (excepta Eucharistia, & matrimonio) persona Sacramentum ministrans, ut ipsum validum sit, debet diuersa ab ea cui ministratur; quod etiam patebit in sequentibus; & sine controuersia receptum esse notat Gregorius à Valencia in antememorato puncto tertio, column 3.

Iam quod ad eandem Sacramentorum validitatem non sit in ministro illorum, necessaria probitas vitæ, patet ex Concil. Tridendi, sess. 7. De Sacramentis in genere can. 12. & ex alijs quæ habent Bellarm. in sequenti cap. 26. & Suarez in eadem disput. 13. sect. 4. Rationem hanc attigisse sufficit: quod minister Sacramentorum operetur virtute Dei, qui datam potestatem non auferit ab eo, propter eius peccata: quandoquidem potestas eius non est gratia gratum faciens, sed gratia gratis data: ut pote quæ in utilitatem aliorum datur potius, quam in utilitatem accipientis. Atque istud locum habet in Sacramentis omnibus, & in quocunque genere peccati: siue ipsum sit contra charitatem, siue contra fidem. Quæ doctrina est D. Thomæ 3. par. questio. 64. art. 5. & 9. communiter recepta: adeo ut quantumcunque potestas iniquus sit, vel hæreticus, conferat verum Sacramentum, si adsint cætera, quibus Sacramentum perfici, antea ex Concilio Floren. retulimus initio tertij capit. Videri possunt auctoritates, & argumenta quæ habet Greg. à Valent. in eodem puncto 3. col. 13. & tribus sequentibus.

Porro sicut malus minister confert verum Sacramentum, ita etiam confert effectum veri Sacramenti: gratiam, inquam, gratum facientem: nisi suscipiens ponat obicem, de quo in sequent. cap. Namque Sacramenta eam gratiam conferre non ponentibus obicem, definitur in Concil. Tridendi, sess. 7. De Sacramentis in genere can. 6. & 7. Neque enim requiritur probitas ministri ad eam consequendam sicut nec sanitas medici ad consequendam sanitatem sumptione potionis: cum à Deo detur ex vi Sacramenti: non autem ex dispositione ministri: quia accidentale est Sacramentum, ministerium ipsum bonum esse, vel malum: sicut & potioni, medicum à quo ministratur sanum esse, vel ægrum: aut aquam, qua horti irrigantur, in eos deriuari, per canales lapideos, aut ligneos, ex capite. Si iustus fuerit, i. quilibet, & ex capite. Romanus Pontifex, De consecrat. dist. 4. Attamen, ut Caietanus & ceteri cum D. Thoma 3. par. questio. 64. art. 3. ad 2. annotant, probitas ministri alio nomine iurare potest: nimirum à Deo impetrando suscipienti bonum motum liberi arbitrij, quo disponatur ad recipiendam maiorem gratiam. Quod intellige de suscipiente adulto: quia

infan-

infantes non possunt habere talem motum: ideoque nec potest illis tale augmentum impetrari: vt ibidem notat Caetan. Itemque impetrando eidem adulto, vt tollat obicem impediendum Sacramenti sanctum effectum: atq; vt ipsius deuotio augeatur in Sacramenti susceptione. Restat dicendum de intentione quæ cum legitima potestate requiritur in Sacramentorum ministro, vt valide ea conferat: ad quam spectantia pro praxi aliquot documentis comprehendemus.

*Documenta de intentione requisita in Sacramenti ministro.*

Primum est, Nomine intentionis hoc loco solum intelligi voluntatem perficiendi Sacramentum. Quam requirit ad Sacramenti validitatem post ceteros scholasticos, qui in eo conueniunt, late probat Suarez in citata disput. 13. sect. 2. vt & Bellarm. in lib. 1. De Sacramentis in genere cap. 27. & 28. Nobis sufficere potest aperta definitio Concilij Florentini in instructione Armenorum, quæ inter ea, quorum si aliquod desit, Sacramentum non perficitur: personam ponit ministri, Sacramentum ipsum conferentis, & in intentionem eiusdem, faciendi quod facit Ecclesia: Concilij item Trident. sess. 7. De Sacramentis in genere can. 11. cuius verba hæc sunt: Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conferunt & conferunt, nõ requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit. Accidit quod Deus talim ministro vtatur, tanquam conficuto super familiam suam fideli, prudentique seruo: qui per rationem & voluntatem, seu sciens & volens (quod fidelitas & prudentia de se exigunt) applicet formam Sacramenti super debitam materiam, cum ad spirituale subsidium animarum opus fuerit. Hoc enim indicatum videtur per illud Matth. 24. Quis est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Accedit etiam quod aliqui si Sacerdos somnians, vel ebrius, vel mente captus proferret verba consecrationis super debitam materiam, consecraret; quod absurdum est. Quemadmodum igitur contingit, vt si dominus noluerit inire contractum, nisi per voluntatem sui serui, contractus nullus est tali voluntate non concurrente: sic in re proposita accidit, vt non nisi concurrente ministri intentione faciendi quod Christus instituit, Sacramentum sit nullum: quandoquidem voluntas Christi est, secundum intentionem ministri a se instituti Sacramenta operari: vt Paludanus in 4. dist. 6. questio. 2. sub finem, probat per illud Matthæi 16. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis, & in seq. cap. 18. Quodcumque alligaueritis super terram erunt ligata & in caelis.]

Secundum documentum est, Consultum quidem esse vt in collatione Sacramenti habeatur particularis intentio, puta conferendi Baptismum à Christo institutum, quod confert Ecclesia: absoluedi à peccatis potestate relicta à Christo in Ecclesia; & sic de cæteris: nihilominus sufficere ad Sacramenti validitatem vt habeatur intentio uniuersalis faciendi quod facit Ecclesia: quemadmodum patet ex ante memorata definitione Conciliorum Florentini & Tridentini.

Tertium documentum est, Quamuis danda sit opera (quod D. Thomas monet 3. part. quest. 64. artic. 8. in fine) vt intentio sit actualis; ad validitatem tamen Sacramenti, sufficere posse vt sit virtualis: non vero, quod tantum sit habitualis. Hoc Bellarm. in antecitato cap. 27. probat. Quia nõ est in nostra potestate (iuxta ill. d. p. al. 39. Cor meum derelinquit me) quin distrahatur aliquando nostra cogitatio, etiam dum sanctissimas actionibus occupamur: quod quidem cum accidit, necesse est vt in nobis cesset actualis intentio illas prosequendi. Et cum intentio habitualis sit in dormiente, vel ebrio, si ea sufficeret ad Sacramentum, ipsum posset ab illo valide perfici, quod absurdum est: quoniam id esset ipsum casu perfici, non autem humano modo ex deliberatione. Itaque procedit, vt habet Suarez in eadem disput. 13. sect. 3. dicto primo: etiam si quis voluntarie inebriaretur, sciens se in eo statu prolaturum verba Sacramentalia; vt verba

consecrationis super debitam materiam, nempe super panem: & habiturum voluntatem conficiendi corpus Christi: imo etiam si antea habuisset intentionem id tunc agendi: quia neq; cum in his conditionibus, talis prolatio exercetur imperio voluntatis deliberatæ, sed naturali quodam impetu.

Porro intentio actualis hic dicitur, quando quis expresse cogitat, & vult facere, quod Christus facit, & Ecclesia. Habet vero eadem intentio quamdam latitudinem; positam in eo, quod contingat illud ipsum, vel magis, vel minus distincte cogitare, & velle; quandoquidem siue ministrans Sacramentum cogitet tantum de Christo, siue tantum de Ecclesia, siue de ipso Sacramento secundum se, siue de eo quod sit ab alijs ipsum ministrantibus; siue de horum pluribus, siue de omnibus simul, intentio eodem recidit: nempe vt sit faciendi in administratione Sacramenti, id quod Christus facit & Ecclesia. Quod idem habet Greg. à Valent. tomo 3. disp. 3. quest. 5. puncto 3. col. 10.

Virtualis vero intentio dicitur dupliciter; vno modo de ipsa actuali intentione, quatenus etiam non adfit præsens ob euagationem mentis, vilius tamen minister Sacramenti exequitur actum Sacramentalem: v.g. baptizat, consecrat, & sic de cæteris. In qua executione, tanquam causa in suo effectu, manens virtute, intentio virtualis dicitur: tamdiuque perseverat, quamdiu actiones eam sequentes, ideo fiunt quod ipsa præcessit: vt id eadem est illas virtute ipsius fieri. Durat autem, vt inquit Suarez, in fine sequentis dicti 2. donec executio illa finitur, velque intenta obineatur; aut donec per contrariam intentionem, aut per superueniens impedimentum interrumpatur, in quo casu necessaria erit noua voluntas, vt interrupta actio rursus inchoetur, aut continuetur.

Altero modo intentio virtualis dicitur, quæ ex natura sua, vel ex Ecclesie institutione comprehenditur sub altera intentione eum qua sic coniuncta est, vt ea præsentem, censeatur ipsa quoque adesse. Illa scilicet ratione, qua votum castitatis ita comprehenditur sub Subdiaconatu, vt eo ipso, quod quis vult ad hunc promoueri, censeatur velle consentire in votum perpetuæ castitatis seruandæ. Sic igitur eo ipso, quod Sacerdos vult secundum Sacerdotum consuetudinem induere vestes Sacerdotales, habet virtualement intentionem celebrandi Missam. Quia enim induere vestes Sacerdotales medium est ab Ecclesia institutum ad Missæ celebrationem, sit vt in tali actione induendi, comprehendatur virtualiter actio celebrandi: & in intentione induendi, intentio celebrandi: donec adhibeatur actus contrarius, per quem hæc tollatur. Atque huiusmodi quoque intentionem virtualement ad Sacramentum sufficere dicendum est; alioquin dicendum erit (prout tenet Sotus in 4. dist. 1. questio. 5. art. 8. col. antep. vltima) multos Sacerdotes non consecrari, nec alia Sacramenta conficere: qui nunquam in vita sua expresse cogitarunt, aut intenderunt facere quod facit Ecclesia.

Habitualis denique intentio dicitur inclinatio quædam, seu promptitudo nata ex habitu infuso, vel acquisito; qualis potest etiam in dormiente inesse. Aduerte autem obiter D. Thomam in cit. art. 8. ad 3. habitualement pro virtuali dixisse: cum voluit eam sufficere ad Sacramenti validitatem, prout notant ipsius interpretes. Vide Greg. à Valent. loco paulo ante citato.

Quartum documentum est: ad validitatem Sacramenti requiri, vt intentio ministri sit absoluta, vel conditionalis æquiualens absoluta. Hoc probat loco cit. Suarez dicto 3. quia conditionalis voluntas quamdiu talis est, manet suspensa, nihilque operatur. Ergo sola intentio absoluta potest efficax esse ad perficiendum Sacramentum. Tunc autem intentio conditionalis æquiualeat absolutæ, cum id quod sub conditione intenditur, fuit, vel est re ipsa, sicut tunc intenditur; prout Suarez ipse plenius declarat, bene eandem ad Sacramentum perficiendum sufficere, probans ex eo proxime, quod ius approbet formam illam Baptismi. Si non es baptizatus, ego te baptizo. Ita vt verum baptisma sit cum ea conditionali intentione collatum, si reuera is qui baptizandus proponitur nondum sit baptizatus.

Vbi aduerte, quod idem admonet, talem intentionem conditionalem posse interdum exterius signo aliquo exprimi, & interdum sola mente concipi; neutro modo autem adhiberi debere sine causa necessaria saltem probabiliter: quia in Sacramentorum administratione intentio debet esse determinata, quoad fieri potest. Aduerte etiam, quod adhuc idem plenius docet, intentionem conditionalem de futuro (v. g. *Si restitueris ablata*) nusquam sufficere ad Sacramentum: quia suspendit presentem intentionem, faciens vt minister absolute non habeat hic & nunc voluntatem perficiendi Sacramentum. Quare non perficitur tunc, ob defectum intentionis; neq; postea, si conditio impleatur, consequetur suum esse; quando quidem tunc deest materia & forma, ex quibus Sacramentum ipsum confici debet.

40. Quintum documentum (quod Bellarm. tangit in antecitato c. 27. vers. *Præter quod*) est, sufficere ad validitatem Sacramenti si minister intendat facere quod facit aliqua Ecclesia particularis: dummodo eam putet veram: argumento cap. Sicut ficti, r. quæst. i. ita vt necessarium non sit, vt intendat facere quod facit Romana Ecclesia: sufficiat vero vt intendat facere quod Lutherana, aut Calviniana Ecclesia facit, si putet eam esse veram Ecclesiam, quantumcumq; reuera sit ficta. Ratio est: quod eo non obitante, virtute velit facere id quod vera Ecclesia facit: etiamsi erret in discernendo quænam ea sit, neq; error speculatiuus circa veram Ecclesiam, vt nec circa vim & efficaciam, aut effectum, aut institutionem Sacramenti, huius validitatem tollit ex parte ministri: sed solum defectus intentionis faciendi quod facit vera Ecclesia. Atq; ita tenetur validum esse baptismum hæreticorum, & schismaticorum: itemq; ordinationem, & Eucharistiæ consecrationem ab eis factam: dummodo cum prædicta intentione concurrant materia & forma Sacramenti, atq; potestas ministri.

41. Sextum documentum est sumptum ex D. Thoma 3. par. quæst. 64. art. 10. Validitatem Sacramenti non impeditur ex eo, quod minister illius non specialem eius finem, nempe *Dei gratiam*, & peccatorum remissionem sibi proponat: sed potius malum aliquem habeat sibi propositum. Pro quo facit cap. Non illud De consec. dist. 4. Adde neq; ex eo, quod velit iocari: dummodo (vt Athanasio puero contrigit, de quo in capit. Spiritus sanctus 1. quæstio. 1.) velit Sacramentum vere conferre: etiamsi accipiat eam collationem pro materia ludi, & oblectationis. De qua re Bellarm. in seq. cap. 28. Et probatur quia ob tales circumstantias, non deest sufficiens intentio faciendi quod facit Ecclesia, illæque accidentales sunt Sacramento.

Vltimum documentum est, adhuc sumptum ex D. Thoma 3. par. quæst. 64. art. 8. ad 2. de quo Sotus in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 8. Vt ex parte intentionis ministri iudicetur Sacramentum nõ esse inualidum, sufficere si illam exterius exprimat, integram formam vere proferendo super debitam materiam: nisi de eiusdem ministri contraria intentione constat: nimirum quia deprehenditur, quod verba fidei protulerit, irridere volens: vel odio, vel metu impulsus. Quo casu non est verum Sacramentum, nec prodest iulcipienti: qui tamen ignorans eam fictionem excusabitur à peccato.

42. Restat dubium, de quo Sotus in eod. art. 8. sub finem, & Suarez in 3. disp. 13. sectionis 3. in fine. An error in intentione circa personam, reddat Sacramentum inualidum: v. g. si quis intendat ordinare filium Petri, & is quæ ordinat sit filius Pauli, vel Sacerdos intendat baptizare masculum, & baptizat femellam. Ad quod respondendum est, validum esse Sacramentum: dummodo minister intendat eum quem presentem habet vel ordinare, vel baptizare. Ratio est: quia tunc præctice, minister intentionem applicat determinatè ei quem habet presentem: nisi forte intentionem expressam haberet excludendi quemcumq; alium ab eo, quem expresse intendit: hoc est, non alium re ipsa, quam v. g. Petri filium, ordinare: vel nullo modo baptizare femellam; prout post Syluest. in verbo *Baptismus* 3. §. vlti. Sotus habet loco cit. Secus tamen est de matrimonio, vt idem Sotus ex D. Thom. addit, quia error in persona, reddit illum inualidum. Iniurium enim esset, facere vt quis arctissimo illo vinculo illam sibi copularet, cuius non habuit affectum. De qua re dicendi alius datur accommodatior locus.

## CAP. VI.

## De effectibus Sacramenti.

## SUMMARIUM.

- 43 Effectus præcipui Sacramentorum, gratia gratum faciens & character: quidq; illa sit.  
 44 Omnia Sacramenta nouæ legis conferre possunt secundam gratiam: non item primam omnia simili modo.  
 45 Omnia tamen suo modo possunt.  
 46 Quid sit Sacramenta conferre gratiam ex opere operato.  
 47 In singulis Sacramentis gratia specialis confertur, & qualis.  
 48 Quid sit character Sacramentalis, & quorum Sacramentorum sit.  
 49 Triplex officium illius, & quod sit indelebile.

Res hæc nec paucis potest pro dignitate tractari, nec diutius in ea immorari est nostri instituti. Contenti erimus nonnulla quasi delibare pro rudi cognitione, qua saltem Sacerdotes imbutos esse oportet, & maxime propter frequentem mentionem, quæ de talibus effectibus habebitur in sequentibus.

Ij autem sunt duo maximè notabiles: gratia gratum faciens, & character: de quibus aduersus hæreticos latè Bellarm. toto lib. 2. De Sacramentis in genere, & Gregorius à Valent. tomo 4. disp. 3. quæst. 3. & 4. atq; accommodatè ad scholasticum institutum copiose Suarez in tertiam par. D. Tho. tom. 3. disp. 7. & quatuor sequentibus.

## De gratia gratum faciente.

## SECTIO PRIOR.

Atque de priore, gratia inquam gratum faciente, sciendum nobis est primo, certum esse de fide ex Concil. Florent. in instr. Armenorum, & ex Concil. Trident. sess. 7. De Sacramentis in genere, can. 6. & 7. Sacramenta nouæ legis significare & continere gratiam gratum facientem: eamque conferre omnibus ea suscipientibus non ponentibus obicè. Nomine autem gratiæ gratum facientis significatur habitus supernaturalis infusus animabus nostris ex Dei dono, quo ei reconciliamur, & ad suam amicitiam admittimur: ita vt inde formaliter sancti & iusti simus, ac secundum spem hæretes vite æternæ, ex Concil. Trident. sess. 6. De iustificatione, capit. 7. vel ij qui iam iusti sunt, & sancti, magis iusti & sancti efficiantur. Ideo enim solet eadem gratia dungi in primam & secundam: vt illa sit quæ datur existentem in statu peccati vel originalis, vt cum baptizatur infans, adhuc carens vsu rationis: vel actualis peccati mortalis: vt cum is absoluitur, qui de peccatis commissis habet quidem dolorem ad Sacramentum penitentiaæ sufficientem, non tamen ita perfectum, vt eum habere satis sit ad exeundum à peccato, siue actuali susceptione Sacramenti; quod dici solet, attributum solummodo facere, non autem contritum. Gratia vero secunda sit, quæ datur iam existentem in statu gratiæ: facta additione noui gradus eiusdem gratiæ, ad priorem iam habitum.

Sciendum est secundo, certum esse omnia Sacramenta nouæ legis posse conferre secundam gratiam, seu augmentum gratiæ, quando suscipientem inueniunt iam in gratia constitutum. Nam, vt ante habitum est, omnia vim habet conferendi gratiam non ponenti obicè. Ille vero si quis alius, non ponit obicem; quia iam constitutus in gratia, Sacramentum suscipit. Cumq; talis non accipiat primam gratiam, vt pote qui iam habet illam: sane accipiet secundam, seu gratiæ augmentum. Ad primam autem gratiam conferendam non omnia Sacramenta per se, & ex propria, specificaq; sua ratione instituta esse certum est: prout notat Suarez in cit. disputat. 7. sect. 2. non longe ab initio. Et patet: quia id quidem baptismus & penitentia conuenit, tanquam per se institutis ad peccati mortalis remissionem, seu impij iustificationem, quæ iuxta definitionem Concilij Trident. sess. 6. cap. 7. sine gratia infusione non fit: cæteris tamen non conuenit. Nam fines ad quos per se instituitur, id non important. Sunt enim, Con-

firmationis quidem & Extremæ vnctionis, pericere seu corroborare gratiam acceptam in Baptismo vel in Pœnitentiâ; Eucharistiæ vero, eandem gratiam fouere: quæ quidem de se, dicunt tantum modo gratiæ augmentum. Ordo autem & Matrimonium in situuntur ad bonum commune; unde fit, vt cum remissio peccati, mortalis sit bonum priuatum personæ, de illis non possit idem dici, quod de Baptismo & Pœnitentiâ dictum est.

Sed tamen aduerte, hoc non obstat, te, ex probabiliori Theologorum sententiâ, omnia sacramenta de facto posse aliquando conferre primâ gratiam. Quod Suarez, in eadem scilicet. 2. dubio 3. probat: quia omnia sacramenta ex Christi institutione vim habent conferendi aliquem gratiæ gradum. Ergo si subiectum non habeat dispositionem actualiter repugnantem gratiæ, semper hanc conferent, vel per modum augmenti, in eo qui iam aliquem talem gradum habet, vel per modum primæ gratiæ, in eo qui nullum adhuc habet talem gradum. Consequentiâ probatur, quia non est minoris virtutis augere gratiam, quam illam de nouo infundere, quando in subiecto nulla est repugnantia: necque primus gradus gratiæ excellentior est, quam secundus. Cæterum homo tunc censetur nō habere dispositionem repugnantem gratiæ, cum etiam in peccato mortali sit, omnino tamen caret praua voluntate peccandi mortaliter dum sumit sacramentum, bonaque fide putat se sufficienter dispositum accedere ad illud. Et enim bona fide procedens, minime ponit actualem obicem prauæ voluntatis; atque ex hypothesis, habet pariter attritionem, per quam à peccato auersus, sic disponitur, vt ex parte ipsius non repugnet illud ab anima ipsius eliminari: & ex opere operato (vt Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere can. 8. loquitur) gratiam vi sacramenti in eandem infundi. Sed obici potest superfluum esse pœnitentiæ sacramentum, si alia sacramenta conferant primam gratiam. Respondendum est, negando superfluum esse: quia etiam si peccata remittantur per alia sacramenta; adhuc tamen pœnitentiæ præceptum obligat ad illa directè subicienda clauibus, perinde ac eum extra sacramentum, eadem remittuntur per actum perfectæ contritionis.

Sciendum est tertio, cum Concilium Trid. ait, sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato, sensum esse, quod conferant gratiam ex vi operis à Deo ordinati ad ipsam gratiam conferendam: non autem ex merito, vel ex fide, vel alio interno motu, siue ministrantis siue suscipientis: itaut illud quod proxime, & instrumentaliter efficit prædictam gratiam, sit operatio illa externa quæ dicitur sacramentum; non autem aliquid aliorum, quod ex parte hominis vi ministrantis siue suscipientis, necessarium sit concurrere ad talem effectum. Alias, gratia dicitur à Deo conferri ex opere operantis: hoc, mediante opere quod exercetis, qui gratiam ipsam suscipit, prius ad eam suscipiendam auxilio Dei dispositus. Cuiusmodi opus consistit in actu pœnitentiæ, qui sit vera contritio (de qua dictum est in preced. lib. 5.) & in actu charitatis, qui sit dilectio Dei super omnia.

Sciendum est quarto (quod tangit D. Thom. 3. par. quæst. 62. art. 2. & latius declarat Suarez tom. tertio disput. 7. scilicet. 3.) per singula sacramenta gratiam specialem conferri, eum illa de qua dictum est, omnibus sacramentis communi: non tamen ab ea differenter essentialiter; nec superaddentem ei habitum supernaturalem: sed tantum quoddam superabundans, & actuale auxilium diuinum, ad particulares fines sacramentorum: seu concursum Dei supernaturalem, debitum ex ipsius ordinatione, qua gratiam suam diuinam per sacramentum collatam, retulit in huiusmodi particularem finem. Eo igitur auxilio solet Deus cum gratia habituali per sacramentum collata, concurrere ad causandum in nobis tempore, & loco opportuno, spiritualem, & particularem finem, seu effectum sacramenti. Qualis est in baptismo delere totum reatum præteritorum peccatorum, animamque confortare ad rite suscipienda alia sacramenta. In confirmatione, corroborare animam ad Christi fidem publice profitendam, & ad toleranda pro Christo quæcumque tormenta. In Sacramento pœnitentiæ, iuuare voluntatem ad perseverantiam in bono proposito nouæ vitæ, & delere de reatu peccatorum præteritorum, pro dispositione il-

lud suscipientis. In Eucharistia reficere spiritualiter animam, seu dare robur, & vigorem quemdam in vita spirituali. In extrema vnctione dare virtutem spiritualem contra insulas dæmonum, & confortare animi pusillanimitatem, ac delere peccatorum reliquias, in sacramento ordinis, dare auxilium ad rite exercendum, ordinum actus spirituales. In matrimonio demum; ad seruandam thori fidem, ac refrenandum concupiscentiæ ardorem immoderatum; atque ad rite obeunda munera quæ coniugibus ex eo vinculo incumbunt. Videri potest Henriquez De sacramentis lib. 1. cap. 12. §. 5. 6. 7.

De posteriore effectu, qui est character.

SECTIO POSTERIOR.

Character ex Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere can. 9. est quoddam signum spirituale, & indelebile, quod in animo imprimitur baptismi, vel confirmationis, vel ordinis susceptione. Et est iuxta D. Thomam 3. par. q. 63. art. 2. communemque Theologorum sententiâ; qualitas quædam per prædicta sacramenta à Deo producta, qua tribuit spiritualem quandam potestatem actiuam, vel passiuam. Character enim baptismalis reddit hominem aptum ad alia sacramenta suscipienda: itaut ea sint nulla, si baptismus non præcesserit: quod quidem est dare potestatem quandam passiuam, vt de se patet. Character vero ordinis dat potestatem quandam actiuam ad administranda ipsa sacramenta. Character denique confirmationis dat potestatem, minus principaliter quidem, passiuam suscipiendi alia sacramenta, non ita necessariam, quin etiam si desit; hæc valide conferantur. Principaliter vero potestatem actiuam: nimirum aptitudinem ad profitendam Christi fidem. Cur autem tria illa sacramenta potius, quam cætera imprimant characterem, ratio reddi potest: quod tantum in illis homo deputetur nouo ministerio, tanquam mutans quoddammodo statum suum. Namque in Baptismo transit à potestate dæmonis ad Christum: cui vt oleaster in bonam oliuam inseritur, vt bona arbor bonos fructus faciat; in confirmatione adscribitur militiæ Christi, vt insignia ipsius in fronte gerat, & pugnet contra dæmones. In sacramento denique Ordinis assumitur quis in numerum Præpositorum eiusdem militiæ: accipiendo potestatem distribuendi aliis bona domini sui eiusdem militiæ summi ducis.

Cæterum iuxta D. Thomam doctrinam in sequenti art. 3. triplex characteris officium distingui potest: prout notauit Bellarm. lib. 2. De sacramentis in genere cap. 19. proposit. 3. Primum est aptum facere ad cultum diuinum; potestas enim spiritualis, quam Characteris sacramentalis impressione à Deo dari ante diximus, eo spectat vt talis cultus exerceatur, suscipiendo, vel administrando sacramenta, aut fidem Christi confitendo. Secundum, quod ex præcedenti oritur, est configurare Christo. Cum enim prædicta potestas sit quædam participatio potestatis Christi, qui vt summus sacerdos habet omnem potestatem in sacramentis, sit vt sacramentalis character configuret nos Christo, & faciat nos ei similiores, quam sint illi qui eundem characterem non habent. Tertium, quod oritur à secundo, est habentem ipsum à non habentibus distinguere: nam ex eo quod sacramentalis character reddit nos Christo similiores, quam eo carentes, sequitur vt nos quoque distinguat ab illis: nempe fideles ab infidelibus, confirmatos à non confirmatis, clericos à laicis.

Indelebile esse characterem sacramentalem, & ideo sacramenta illum imprimentia iterari non posse, certum est de fide: ex Concil. Trid. loco citato, & ex Concil. Florentino in instruct. Armenorum. Cuius indelebitatis rationem Bellarm. in eodem cap. 19. hanc affert, quod talis character non habeat contrarium cuius interuentu pellatur ab anima, sique sit ipsius animæ consecratio tandiu durans quamdiu eadem anima consecrata.

## CAPVT VII.

## De suscipiente Sacramento.

## SUMMARIUM.

- 50 Solus homo presentem vitam agens, capax est sacramentorum: ad quorum validitatem illius intentio est necessaria, & qualis.
- 51 Recta fides requisita in adulto suscipiente sacramenti, ut per illud gratiam consequatur: itemque penitentia, & quae.
- 52 Earumdem conditionum defectus, non obstat quin sacramentum vere suscipiatur, excepto penitentia sacramento.

50. Solus homo dum versatur in hac vita, in qua peregrinatur à Domino, capax est sacramentorum. Ea enim instituta sunt ut medicamenta humane naturae. Postquam autem homo, obita morte, ad gloria aeternaeque vitae terminum peruenit, non est amplius capax talium medicamentorum. Beatus enim tanquam bene valens, non habet opus medico: damnatus autem tanquam male valens, omnino desperatus ea excludit. Iam ad validitatem sacramenti (excepta Eucharistia, quae in esse, non dependet à suscipiente) in eo qui illius capax est, requiritur intentio positiva suscipiendi institutum à Christo sacramentum: etsi necessaria non sit in illo (ut nec in ministrante) rectitudo intentionis qua velit suscipere propter finem in quem à Christo est institutum; sed propter aliquem alium, ut propter lucrum, aut corporalem sanitatem, aut aliud eiusmodi. Quamquam quoad infantes, qui non possunt propriam intentionem habere, sufficit parentum, vel offerentium, vel ministrorum intentio: sicut ad peccatum originale contrahendum sufficit illis voluntas primi parentis Adami. De qua in sequenti libro cap. ultimo.

Itaque ex cap. Maiores, De baptismo §. penult. in adultis, in quibus requiritur propria intentio, propriusve consensus, sacramentum inualidum est ex defectu intentionis illud suscipiendi: ut cum quis omnino inuitus suscipit; aut per vim absolutam suscipere cogitur. Non vero (ex e. dem §. penult.) si tantum metu siue iusto, siue iniusto: & siue leui, siue graui dummodo vere velit suscipere, neque fingat. Satis autem est, ex communi Theologorum sententia, (prout Suarez restatur in memorato tom. 3. disput. 14. sect. 2. dicto. 1.) ut intentio sit virtualis sicut in ministro: immo & interpretatiua, quam praecesserit positiva actualis in qua fundetur, sufficere potest, ex cit. cap. Maiores §. ultimo. Confirmaturque per illud quod ex cap. Agrotantes, De consecrat. distinct. 4. amentes, vel furiosi, vel morbo oppressi, capaces sint sacramentorum Baptismi, & penitentiae, quando habuerunt praecedentem voluntatem ea suscipiendi: quod idem de aliis sacramentis pari ratione dici potest. Haec eadem Syluester habet in verbo, Baptismus 4. quaest. 14. quae priora sient per dicenda de baptismo ipso, in memorato cap. ultimo.

51. Amplius ad consequendam primarium sacramenti effectum, quia est gratia gratum faciens, in suscipiente qui ad annos discretionis peruenit, praerequiruntur ex parte intellectus, ut rectam habeat fidem, sine qua impossibile est placere Deo, ad Hebraeos cap. 11. ex parte voluntatis vero (quod patet ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 1.) ut de peccatis commissis habeat veram penitentiam: qualis est quae excludit omnem mortaliter peccandi voluntatem, tanquam directe repugnātem gratiae gratam facienti, nec eam secum patienti in eodem subiecto. Veruntamen, ut in cap. Omnis qui, De consecrat. dist. 4. sub. finem dicitur, ab hac penitentia paruuli cum baptizantur immunes sunt: quia nondum possunt uti libero arbitrio. Haec quoque illustrabuntur per dicenda in eodem cap. vlt. ubi etiam, supposito eo, quod ante ostensum est, sacramenta, omnia posse conferre primam gratiam, patebit non esse necessarium, ut talis penitentia sit vera contritio, hoc est, quae propter Deum ex charitate dilectum, super omnia detestemur peccatum, prout est illius offensa: sed sufficere, ut sit attritio, hoc est, ex Concil. Trid. in sequenti cap. 4. dolor de peccatis commissis, qui excludat voluntatem peccandi, & oriatur ex supernaturali auxilio Dei, vereturque circa obiectum supernaturale fide cognitum: ut est turpitudine peccati, quam omnium maximam esse ostendunt

fara cloquia: & timor gehennae, aut amissionis aeternae gloriae; talis enim dolor sufficienter tollit ab homine effectum peccati mortalis: ideoque & obicem diuinae gratiae, quam sacramenta ex opere operato conferunt, non ponentibus obicem: ex definitione Concilij Trid. sess. 7. De sacramentis in genere, can. 6.

Nec est quod quis dicat requiri contritionem, propter reuerentiam debitam sacramento: quia satis reuerenter accedit, qui secum adfert dispositionem ad hoc necessariam, ut non impediatur effectus sacramenti. Quod in baptismo, & in sacramento penitentiae concedatur, concedi etiam potest in aliis sacramentis, cum & ipsa possint conferre primam gratiam. Si enim veram contritionem requirerent in suscipiente, requirerent consequenter & gratiam, quae illam sine sacramento in re suscepto sequitur, iuxta promissum factum Ezechielis 18. Convertimini, & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Neque refert quod baptismus, & penitentia per se & directe respiciant peccatum tanquam materiam, cetera sacramenta non item: quoniam satis est quod secum adferant gratiam iustificantem, per quam apta sunt illud tollere à suscipiente disposito. Quamquam tamen propter reuerentiam summam quae debetur maiestati Christi in Eucharistia contenti, merito in Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. praecipitur, ut nullus qui sit sibi conscius peccati mortalis, quantumcumque sibi contritus videatur, absque sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat.

Ceterum quamuis ille qui sine duobus praedictis dispositionibus (recta fide inquam & penitentia) sacramentum indigne suscipit, non recipiat, prout dictum est, gratiam sacramenti: vere tamen suscipit sacramentum: unde si illud sit ex imprimentibus characterem, hunc imprimit indelebilem. De qua re Suarez in citata d. disput. 14. sub. finem, rationem adferens, quod in secundum Catholicam Ecclesiam ritum baptizati: sunt aut ordinati in haeresi, non baptizentur denuo, aut ordinentur, si respicientes ad Ecclesiam Catholicam relicta haeresi reuertantur; quod satis ostendunt validum posse esse sacramentum non obstante defectu vere fidei in suscipiente, aut carentia penitentiae antea descriptae eundem defectum sequente: quando quidem talis penitentia cum sit supernaturalis dispositio voluntatis, requirit supernaturale Catholicae fidei lumen: quo proinde deficientem illam abesse necesse est. Neque sequitur si infidelitas, aut aliud peccatum mortale tollat gratiam, quae est praecipuus effectus sacramenti, tollere debere etiam ipsum sacramentum. Nam causa non dependet in esse à suo effectu quo prior est. Neque si peccatum mortale directe repugnat gratiae, sequitur pariter repugnare characteri, obicemque illi deponere in subiecto: quia licet sit effectus eiusdem causae, non sunt tamen eiusdem rationis, sed diuersae, ut satis patet ex antecedentibus. Bene vero idem author ibidem notat, peculiare esse in sacramento penitentiae, ut quia iam dicta penitentia, quae in aliis sacramentis tantum est dispositio, in eo pars est essentialis: ipsum nullo modo sine eadem perfici posse.

## CAPVT VIII.

De peccatis quibus obnoxij sunt ministrantes, aut suscipientes indigne sacramenta, & eorumdem cooperatores.

## SUMMARIUM.

- 53 Indigne sacramenta tractare, peccatum est suo genere mortale: & grauius, inquam si quis ex confusione reme non habens potestatem.
- 54 Quid de eo qui non est certus, an talem potestatem habeat.
- 55 Quatenus soli sacerdotes censentur ministri sacramentorum.
- 56 Mutare materiam, aut formam in administratione sacramenti, aut vii incerta, aut non leuare in diuinum ab ecclesia prescriptum, peccatum est de se mortale.
- 57 Peccatum est suo genere mortale, sacramentum ministrare in statu peccati mortalis.

- 58 An id habeat locum in illo qui ex necessitate administrat, nec est ad tale officium consecratus.
- 59 Quatenus peccet in sacramentorum administratione, omittens ceremonias ab Ecclesia prescriptas.
- 60 Duo modi quibus contingere potest obligatio suscipiendi sacramenta.
- 61 Peccatum est mortale sacramenta sine dispositione suscipere; ac etiam tali indigne susceptioni cooperari.
- 62 Peccat mortaliter ministrans sacramentum suscipienti illud indigne, nisi scandalum, aut iniusta proximi laeso excusetur.
- 63 Ignorantia quoque probabilis potest ab eodem excusare.
- 64 Non licet sacramentum petere ab eo qui nequit illud valide, aut digne ministrare.

Hic pertinent quæ late tradit Suarez in eodem tomo 3. ad 3. par. D. Thomæ disput. 16. 17. & 18. vnde sumemus aliquot documenta, ex quibus iudicari possit de talibus peccatis.

Primus est, multorum aliorum fundamentum, digne tractanda esse sacramenta, siue dispensanda sint, siue recipienda: sunt enim res sacræ, quas indigne tractare peccatum est suo genere mortale: quia committitur contra religionem, nobilissimam virtutem, & contra honorem Deo debitum: reponiturque à D. Thoma 2. 2. quæst. 99. art. 3. inter grauiiores sacrilegij species.

## Documenta de ministrantibus.

## SECTIO PRIOR.

Secundum est: graue sacrilegij peccatum committere eum, qui tentat conficere sacramentum, cuius conficiendi nõ habeat potestatem: Tum quia facit contra Christi institutionem, qui certos instituit sacramentorum ministros: Tum quia quantum in se est, prauum ritum in conficiendis sacramentis introducit: & factio ipso falsam doctrinam proficitur: Tum demum quia deceptione vititur, ex qua sequi possunt grauius animarum pericula, & scandala. Qui autem habeant huiusmodi potestatem intelligitur, cum in sequentibus docebitur suis locis, qui sint singulorum sacramentorum proprii ministri.

Tertium est: si quis incertus sit an talem potestatem habeat, ne temere exponat se periculo faciendi sacramentum irritum nunquam ea debere vti, excepto casu, quo pensatis diligentiter circumstantiis omnibus, iudicet probabilis esse, quod talis potestatem habeat, quam quod non habeat. Cuius exceptionis ratio est: quod talis tunc excusetur à culpa tanquã is qui rationis præscriptum sequitur, alioquin (quod foret valde durum) contingeret perplexitate conscientia, pias animas ordinarie angere: quandoquidem vt in salubribus, & in salubribus sic in agendis, vel fugiendis in spiritali vita non inest ordinarie constantia illa, quæ requiritur ad plenam certitudinem cognitionis, sed potius magna varietas ex varia circumstantiarum mutatione. Ita docens Suarez. in eod. tom. 3. disput. 16. sect. 1. dicit. primo sub finem, adhuc addit exceptionem aliam. Nisi necessitas grauis vrgeat, cui non possit alia securiore via subueniri. Et merito addit: quia nec tunc, licet de sua potestate aliquatenus incertus, agit contra rationem: cum vt supponimus, iudicet non sine probabilitate, quod in tali casu habeat sufficientem potestatem: neque licet contrariũ æque probabile, aut etiam probabilius forte videatur: exponit se temere periculo faciendi sacramentum irritum: sed solummodo tale periculum, tanquã non certum patitur seu permittit ad obuiandum necessitati vrgenti: interea sollicitè curans, ne quod aliud detrimentum in Dei, vel proximi iniuriam, sacramenti administratio patiatur.

Quartum documentum est quod in dicto 2. idem author subiungit ex D. Augusti. lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. solos Sacerdotes per se loquendo potestatem habere administrandi sacramenta; quia collatio sacramenti est actio sacra, ad quam digne perficiendam minister consecratur. Excipitur tamen matrimonium, quod cum in quodam contractu consistat, à contrahentibus perficitur: itemque baptisimus, qui vrgente necessitate potest etiam à laico quocumque conferri; vt suo loco exponetur in sequenti libro. Quamuis autem huiusmodi potestas sufficiat ad conferendum valide sacramen-

tum (excepto sacramento penitentia, ad cuius validitatem requiritur iurisdicctio, cum sit actus iudicialis) non tamen ad conferendum licite: nisi ad illam accedat potestas iurisdictionis: vel ordinaria, qualis inest pastoribus, in ordine ad oues suæ curæ committas. vel delegata ab eo, qui est ordinarius pastor. Ratio est: quia constat ex cap. 20. Euangelij D. Ioannis, & ex cap. 4. epistolæ D. Pauli ad Ephesios, aliquos Christi institutione esse in Ecclesia aliorum pastores, qui animarum curam gerant, ad taleque pertinere ius, & officium ordinariũ, ouibus propriis dispensandi sacramenta, quæ sunt animarum medicina: ita ut peccet grauius cæteri, quantumcumque pari sacerdotali, aut Episcopali potestate præditi, qui sine commissione legitima præsumunt alienis ouibus sacramenta ipsa dispensare: tanquam illi, qui in debito modo vtantur potestate sibi data, non seruando distributionem ouium ab Ecclesia factam congruenter, antedictæ Christi institutioni, vsurpando que illegitime aliorum ministerium.

Quintum documentum est: omnes, quotquot licite possunt, obligari ex charitate sacramenta aliis ministrare: dum extrema, aut alla grauis necessitas vrget: adeo ut sine iusta causa id omittere, peccatum sit mortale iuxta communem doctrinam de elemosyna. Obligantur vero ex iustitia ad eandem ministrationem illi quibus ea incumbit, vel ex officio, vel ratione stipendij, aut promissionis, aut pacti cõrationaliter tale debitum ab ipsis exigitur. Quod negando quia violatur iustitia in re notabili (sicut pl. rumque alias retinetur alienum) mortaliter peccatur, nisi aliqua iusta causa excuset.

Sextum documentum est, quod late tradit Suarez in eadem disp. 16. sect. 2. Sacramentorum ministrum iure diuino teneri in illorum vsu seruare integras materias, & formas à Christo institutas: scilicetque faciendo graue peccatum sacrilegij committere: quia magnam iniuriam inferretur sacramentis, quæ ex eo redderentur irrita, ac nullam: cum Christo in eo, quod nouus ritus introduceretur cõtra ipsius institutionem: tum demum fidelibus, qui frustrarentur veris remedijs suæ salutis. Neque in hacre potest quis excusari per ignorantiam iuris; quia nemo ignorans quæ requiruntur ad substantiam sacramentorum debet se ministerio illorum ingerere, quin prius talem ignorantiam depulerit. Per ignorantiam autem facti excusari potest aliquando, saltem à mortali, vt cum quis in aqua consecrat, aut aliquod verbum formæ omittit per inaduertentiam inculpabile: qualis censeri potest, contingens cum quis bona fide, & intentione procedit, adhibetque moralem diligentiam, quam ordinarie adhibere solent diligentes, ac timorati. Nec item excusari potest ob materiæ paruitatem, quia talis materia semper est grauis: cum ex illa pendeat tota substantia, & validitas sacramentorum.

Septimum documentum est, ministrũ in administratione sacramenti, materia, vel forma incerta vtentem sine vrgente necessitate, mortaliter peccare, ob periculum cui se exponit faciendi sacramentum irritum. Necessitas autem vrgens à tali peccato excusat eodem modo, quo in casu tertij documentum. Videri potest in eadem sect. 2. Suarez.

Ex qua sectione amplius habetur octauum documentum, peccatum mortale esse, non seruare eum modum talis materiæ, vel formæ quem Ecclesia prescribit: vel quem vniuersali, ac recepta consuetudine obseruat: vt v.g. in Ecclesia Latina, consecrare in pane fermentato, vel consecrare in vino sine aquæ admixtione. Ratio est: quia violare Ecclesiæ præceptum in re graui legitime datum, peccatum est graue. Pro re graui autem habendum esse ritum, quo vniuersalis Ecclesia vititur in administratione sacramentorum ad promouendam fidelium pietatem, nemo Catholicorum negauerit. Quinquam paululum in prædicto modo deficere, excusatio esse potest à mortali (sicut & in plerisque alijs) ratione paruitatis: quia mutatio facta in illis non reddit sacramentum irritum, sicut facta in materia vel forma.

Nonum documentum est, quod idem author late tractat in seq. sect. 3. qui sacramentum confert ex officio tanquam minister deputatus, seu consecratus ad tale ministerium teneri se preparare ad gratiam, vt illud sancte exerceat: ita ut peccet mortaliter, si sciens & volens illud in statu peccati mortalis exerceat. Ad confirmationem huius, iniquis communi Theologorum consensu receptum esse, plures auctoritates

& rationes idē auctor habet. Sufficiet autem illa ratio familiaris, quam ad idem ostendendum specialiter quoad Sacramentum poenitentiae, vti sumus in prima par. lib. 1. num. 161. nempe quod ministerio sacramentorum vti vase immundo sit irreuerentia Dei propter indecentiam qua sacramentum, *res adeo sancta, vereque hominem sanctificans*, tractatur tanquam prophana. Quae indecentia potest esse tanta, vt ob notabilem Dei irreuerentiam quam coniunctam habet, censetur peccatum mortale. Cum ergo immunditia peccati mortalis sit infinite maior, quam quęcumq; alia: & concursus ministri deputati ad huiusmodi ministerium longe propinquior, excellentiorque sit quocumque concursu valorum: certe maxima irreuerentia est: qua mortali crimine contaminatus, audeat exhibere ministerium in sacramentorum perfectione; praesertim cum id faciat, tanquam Christi, *principaliter tunc agentis*, instrumentum rationale; ad id deputatum per consecrationem sacramentalem, in qua animae puritas, nisi obicem posuerit, data est ei infusione gratiae ex opere operato. Quae quidem satis ostendunt peccatum in eo committi suo genere graue, & eo gratius, quo iniquitas ministri maior fuerit, & sacramentum dignius.

Hincque Suarez bene colligit, Sacerdotē ministratum sacramentū, si in peccato mortali sit, teneri ad contritionē, quae cum Dei auxilio semper haberi potest; vel si attritionē solum in se agnoscat, teneri sacramentalem confessionem praermittere, vt ex attrito fiat contritus: quia vt constat ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. peccator per solam attritionem non disponitur sufficienter ad gratiam consequendam. Ceterum in hac re exulat ignorantia probabilis, qua quis facta diligenti discussione, non est sibi conscius peccati mortalis, vel probabiliter se existimat contritum: cum forte tantum sit attritus. Ne autem putet quis doctrinam hanc duriorē esse eo non in, quod sit difficile, sic averti a peccato, & ad Deum conuerti, vt quis huius summo amore, illius affectum omnem exuat (*quod ad contritionem requiritur*) aduertere debet Dei auxilium omnibus, & semper praesto esse: ratione cuius quisque dicere possit cum D. Paulo ad Philip. 4. Omnia possum in eo qui me confortat. Neque difficultatem eam aliunde provenire, quam ex nostra malitia, qua ob prauam consuetudinem, vel ob proximam peccati occasionem, quam praemanibus habemus, ita obstinate afficimur ad peccatum, vt vix ex eo resurgere posse videamur; quod totum pendet ex mala voluntate nostra, quam in bonam mutare positum est in nostra libertate: alioqui enim non daretur de eo praecipuum.

De eo autem qui non ex officio, & tanquam publicus Christi, Ecclesiaeque minister: sed solum ob necessitatem, sacramentum ministrat (*vt potest laicus baptismum urgente necessitate*) antenatur quoque sub poena peccati mortalis se ad gratiam consequendam disponere per contritionem, si conscius sibi sit peccati mortalis, grauis cō:rouersia est inter Theologos: quam idem Suarez in eadem disput. 16. sect. 4. tractat. Nobis autem satis est; tutiorem quidem esse partem affirmantem: sed negantem teneri posse; tum ob auctoritatem D. Thomae, & aliorum quos idem citat: tum quia censendum est minus oneris imponiis, ad quos per se non pertinet cura, & administratio sacramentorum, nec ad eam consecratione deputati sunt: sed solum per accidens ea permittitur ipsis ob necessitatem: minus, inquam, oneris quam illis qui ex officio deputati, consecrati que per se sunt ad illud munus tanquam propria Christi instrumenta: quibus incumbat specialis obligatio conformandi se in sanctitate suo principali agenti. Quae ratio, cum solum nitatur benigna quadam interpretatione generalis documenti de digne tractandis, & dispensandis sacramentis, praemonuimus partem affirmantem tutiorem esse, quae ideo consulenda est in praxi.

Aduerte obiter (*de quo idem ilidem in fine*) constare de baptismo quod is urgente necessitate possit ab alio administrari quam per consecrationem deputato: non item confirmationem, poenitentiam, ordinem, & exremam vñtionem. De matrimonio vero, & Eucharistia esse aliquam difficultatem suis locis tractandam.

Decimum documentum est: ministrum sacramentorum

in eorum administratione, teneri seruare non modo essentialia, seu necessaria ex Christi institutione ad illorū validitatem: sed etiam solemnitatem ad caeremonias ab Ecclesia institutas. Hoc patet ex definitione Concilij Trid. sess. 7. De sacramentis in genere can. vi. & ex recepta consuetudine vniuersalis Ecclesiae, atque ex communi Catholicorum consensu: ita ut aliter faciens peccet mortaliter, cum negligit eas seruare, vt omnino superfluas, aut impertinentes. Nam in eo magnam iniuriam infert Ecclesiae, adeoque Spiritui sancto, cuius instinctu per illam instituta sunt eiusmodi caeremoniae, de quibus talis indigne sentit. Peccet item idque grauius, aut minus grauitet, *pro maiori scilicet vel minori grauitate materiae*, is qui etiam tantum ex fragilitate sciens & volens negligit eas seruare. Id quod prudētis iudicio relinquatur, cum de vnaquaque in particulari agitur. Neque in genere aliquid statui potest: quam grauiores esse, & culpabilius omitti caeremonias illas, quae instituta sunt propter sacram significationem, quam illas, quae sunt tantum propter ornatum, & decentiam quandam. Atque inter institutas propter sacram significationem illas grauiores esse, culpabiliusque omitti, quarum significatio est altior; vt est praeter multis aliis in azymo pane, & in vino habente aliquid aquae admixtum, conficere sacramentum Eucharistiae.

Documenta de suscipientibus sacramenta, & de cooperaturis tam eorum, quam ministrantium.

#### SECTIO POSTERIOR.

Vndecimum documentum est, Obligationem suscipiendi sacramenta dupliciter posse contingere; vno modo per se, quando ea imponitur ob effectum proprium, utilitatemque ex sacramento ipso provenientem, vt cum praecipitur annua confessio, vel sacra sumptio Eucharistiae in Paschate. De qua obligatione nihil occurrit in genere dicendum. In particulari vero cū de singulis sacramentis agitur docendū est, num aliqua sit imposita de eorū susceptione, & quamnam sit. Altero autem modo talem obligationem contingere posse per accidens, vt quando ob externum aliquem finem, ea censetur adesse: vt ob necessitatem vincendi vrgentem tentationem, aut propulsandi imminens scandalum, aut obuiandi proximo periculo graui, aut quod aliud eiusmodi.

De qua obligatione illud in genere notandum occurrit: peccatum quod illius violatione committitur non esse specialiter contrarium virtuti religionis (sicut est illud quod violatione praecedentis obligationis committitur) sed ei virtuti, ex qua ipsa eadem obligatio oritur. Si enim oritur ex castitate, vt quando vrget necessitas vincendi tentationem carnis, violatio illius, malitiam habebit contrariam castitati. Quando vero imminet scandalum proximi, aut necessitas eius vrget, quia talis obligatio ex misericordia oritur, violatio eius, peccatum erit contra misericordiam, & sic de ceteris.

Duodecimum documentum est, Eum qui sacramentū suscipit teneri sub graui peccato, omnia praestare, quae ex parte ipsius necessaria sunt ad validitatem sacramenti, vel ad decentem modum suscipiendi illud, requisita sunt: siue ex natura rei, siue ex praeccepto Ecclesiae. Ratio est, quia si suscipiens sacramentum non adhibeat suum concursum necessarium, vt sacramentum fiat, & decenter, ac cum debita reuerentia suscipiatur, prout ratio postulat, non erit sacramentum digna susceptio, sed indigna, ac sacrilega irritio, grauisque & iniuriosa Ecclesiae deceptio. Sic igitur grauitet peccat qui sine intentione, de qua dictum est in praec. p. cap. 5. primo, sacramentum suscipit. Deinde is qui sacramentum suscipit, cuius non est capax, vt si foemina velit ordinari, vel homo sanus vngi extrema vñctione, vel religionem approbatam professus, aut ad subdiaconatum promotus velit matrimonium contrahere: vel sine dolore, & confessione peccatorum, sacramentaliter absolui.

Decimertium documentum est, Suscipientem sacramentū teneri sub mortali, ita d. positum accedere ad illud, vt non ponat obicem effectui principali illius, qui est gratia sanctificans. Ratio est: quia cum sacramenta, institutione

Christi

Christi sint efficacia signa talis gratiæ: seu quæ illam efficiant significando: is qui ipsa recipit, tali effectui ponendo obicem; quantum in se est inanem reddit, & falsam eorum significationem: ideoque graue sacrilegium committit. Sic enim ex Apostolo in priori ad Corinthios. 11. qui Eucharistiam indigne sumit, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ea autem dispositio, vt in cit. cap. 7. proposuimus, est certa fides, & penitentia in eo qui sibi conficius est peccati mortalis. Quibus adde & relaxationem vinculi excommunicationis; quo irretitus ab omnium sacramentorum perceptione excluditur, ex cap. Nuper, De sententia excommunicationis. Item dispensationem ab irregularitate, ob quam irregularis ab ordinum perceptione reicitur.

Decimum quartum documentum est, Peccare non modo indigne administrantes; aut suscipientes sacramenta, sed etiam cooperantes illis ad indigne ministrandum, vel suscipiendum. Hoc enim est commune peccatis omnibus, vt illis contaminentur, tam consentientes facientibus, quam facientes ex cap. 1. ad Rom. in fine. De qua re egimus in præced. lib. 16. cap. 3. documento tertio. Videri etiam potest Nauar. in Euch. r. cap. 11. num. 12. & 13.

Decimum quintum documentum est, Graue peccatum esse ministrare sacramenta iis, qui ad illa indigne accedunt. Ratio est, quia id est cooperari illorum sacrilegæ susceptioni, & agere contra fidelem, & prudentem, ad quam tenentur, sacramenti dispensationem, ac contra cultum, ac reuerentiam sacramento debitam. Ad confirmationem facit, quod cum Sacerdos teneatur Eucharistiam in loco decenti collocare, si illam proiiceret in terram, grauius peccaret contra officium suum; multo ergo grauius peccabit eam porrigendo indigno, quando quidem peccati mortalis turpitudine, quamcunque aliam longe superat. Nonnunquam tamen per accidens licitum esse potest, dare aliquod sacramentum indigno (vt verbi gratia, Eucharistiam occiso peccatori eam publice petenti) ad vitandum scandalum, vel iniustam proximam infamationem. De qua re satis constare videtur ex factis Christi, qui ipsam Eucharistiam porrexit Iudæ proditori. Et ratio est: quia exterior receptio sacramenti, ad quam cooperatur ministrans, non est per se mala: sed solum habet adiunctam malitiam per accidens ex praua dispositione susipientis: ad quam non concurrat, quando compellente necessitate vitur suo iure, dando operam rei de se licitæ.

Amplius à tali peccato excusare potest ignorantia probabilis: quæ quidem vt talis sit, requirit diligentiam adhibitam in examinanda dispositione, quam vnumquodque sacramentum exigit: eane in ipsum petenti: vt si ad ultus baptizari petat, examinandus est num habeat fidem, & penitentiam sufficientem ad induendum Christum (iuxta illud ad Galat. 3. Quicumque baptizati estis, Christum induistis) siue ad hoc vt Christus habet in corde ipsius, quod fit per fidem cum charitate (cui repugnat complacentiam peccato mortali) coniunctam: iuxta illud ad Ephes. 3. Fleto genua ante Patrem Domini mei Iesv Christi, &c. vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris in charitate radicati & fundati. Cum vero petit quis humiliter Confirmationem, vel Eucharistiam, vel Extremam vnctionem, vt plurimum ipsa petitio sacramenti tali modo facta à persona idonea, potest absque alijs iudicijs

sufficiens signum esse bonæ dispositionis. Quamquam tamen prudentia directrix humanarum actionum, interdum dicitur opus esse diligentia in examinando verbi gratia, num is qui ad Confirmationem se offert iam sit baptizatus: aut num ille qui petit Eucharistiam sit confessus; aut is qui scitur prius habuisse impedimentum siue peccati, siue censura Ecclesiasticæ, num ab eo liberatus sit; aut si scandalum publicum dederit, num illud sublatum sit per iustam satisfactionem, ne ipsum accrescat collatione sacramenti. In sacramento Penitentia tenetur minister, tanquam iudex constitutus in causa Dei, accurate informare se de statu conscientia penitentis; vt recte possit, nec temere sententiam proferre. In sacramento Ordinis tenetur Episcopus diligenter examinare qualitatem & statum personæ ordinandæ: num sit digna tanto Sacramento, ac sacro ministerio, ad quod admittitur. De qua re abunde instruitur à Concilio Trid. sess. 23. de refor. In Matrimonio denique, quod inducit vinculum perpetuum, cum multis oneribus, & molestiis de se coniunctum, pastores Ecclesiæ diligenter curare debent, vt illud contrahentes id faciant cum conditionibus requisitis, & dispositione debitæ: ne vel inualide contrahant, vel ponant obicem sacramentali gratiæ, sibi in tot difficultatibus imprimis necessariæ. Videantur quæ Concilii Trid. habet in sequenti sess. 24. de reformatione matrimonij.

Vltimum documentum est: Neminem posse sacramentum petere ab eo qui illud valide, aut digne administrare non potest. Ratio est quia talis administratio exerceri nequit absque sacrilegio, quo sacramentorum institutori fiat gravis iniuria. Cui sacrilegio cooperari, est pari scelere se contaminare iuxta antea traditum 14. documentum. Sic ergo peccat tali graui peccato qui procurat sacramentum administrari sibi ab eo, qui non est minister illius idoneus (vt se absolui à sacerdote qui non habet sufficientem potestatem) aut administrari ab eo, qui quamuis sufficientem potestatem habeat, ea tamen sic male vsurus est, vt non perficiat sacramentum: aut quamuis illud sit valide administraturus, non potest tamen licite: quia nec est pastor illius, cui administrat, nec ab eodem pastore delegatus; aut etiam licet pastor sit, vel à pastore delegatus, tamen per Ecclesiæ præceptum prohibetur ministrare. In quibus casibus, nisi aliqua iusta causa, vt necessitas, potestatem faciat, talis actio sacra non potest absque peccato exerceri. Namque simpliciter carens potestate necessaria ad eiusmodi actionem, si eam exercere præsumat, sacrilegium mortale committet: & carens sufficienti iurisdictione alienum ius vsurpabit iniuste: & suspensus ab Ecclesia, violabit obedientiam eidem debitam. Quod cum ita sit, nemo licite poterit in talibus casibus, alteri cooperari, siue petendo, siue accipiendo ab eo sacramentum; siue etiam deferuendo ei in ipsa actione sacra, quam exercet prave, nec aliter exercere valet, ob defectum potestatis legitimæ.

De difficultate, An liceat petere, & accipere sacramentum à ministro, qui potest quidem illud licite administrare, sed ex malitia sua administraturus non est sine peccato: nempe quia perseuerare vult in censura ecclesiastica, aut in peccato mortali: quid tenendum sit, aliquot propositionibus explicuimus in 1. par. lib. 1. cap. 14. scg. 3. licet enim ad Sacramentum penitentia peculiariter eas accommodauerimus, quæ tamen pertinent ad omnia reliqua sacramenta. Ibidem ergo videantur.

DEO GRATIAS.